
REGVLA
ET CONSTITVTIONES
CANONICORVM REGVLARIVM CONGREGATIONIS S. SALVATORIS,
Ordinis Sancti Augustini:

Denuo reformatæ, auctæ, Summis illustratæ, Indiceq. locupletissimo exornatæ.



ROMÆ
Apud Paulum Bladum, Impressorem Cameralem.
M. D. XCII.



LECTORI.



A est humanarum rerum vicissitudo, vt, quæcumque in Orbe sunt, vel meliora in dies fiant, vel in deterius prolabantur. hoc, humani generis vitio contingit; illud, proborum hominum industria, qui cadentes res consilio iuuant, opibus augent, auctoritate fouent. Quod si id vmquam vlla in re manifeste apparuit; videmus certe, in cœtu hominum, qui se se ab humano commercio segregarunt, Deoq. addixerunt, quotidie illud euenire. nam omnia eorum studia eo cõferuntur, vt Rempublicam meliorem efficiãt. Factum hinc est Diuina prouidentia, vt Religiosorum Ordines, ad Dei cultum, propagati sint; summorum Pontificum presertim benignitate, & auctoritate adiuti. Quocirca, cũ ad veteres nostras Constitutiones multa, pro temporum cõdicione, essent addenda, multa item mutanda: alia à Pontificibus, & à Sacro sancto Concilio Tridentino decreta, essent ijs

inferenda; optime consuluit publicæ vtilitati Capitulum generale, vt res tanti ponderis nõ negligeretur. Curarunt igitur, singulari adhibita diligentia, Reuerendiss. Pater Ambrosius Morandus Bononien. Prior generalis, pro suo erga Congregationem maximo amore, ac Admodum Reuerendi Patres Lælius Corsus Brixien., Florianus Luparus Lucen., Ioannes Petrus Terzaghius Ven., & Georgius Fantius Ferrarien. Visitatores, vt, quanto citius fieri posset, res ad exitum perduceretur. Confectũ, intra paucos menses, ex voto negotium. Exeuntq. modo, bono publico, Constitutiones reformatæ, auctæ, Summis illustratæ, Indiceq. materierum omnium locupletissimo exornatæ. Nihil vt iam sit desiderandum, nisi vt nostri Canonici, eas assiduè legentes, Deumq. præ oculis semper habentes, in terris tranquillam vitam agant, & in cælis gloriosam, post hoc exilium, immortalitatem consequantur. Valete in Domino.

Romæ M. D. XCII. kal. Ian.

PROOE-

PROOEMIVM.



VONIAM Diui Patris nostri Augustini regula ad amputanda vitia, virtutesq. animis inserendas, vniuersè instituta est, nec speciatim victus, vestitus, cęrimonias, aliosue regulares mores attingit, quæ omnia maximè hac nostra tēpestate ab omnibus, qui religiosam in Monasterijs vitam degunt, variè, distincteq. obseruari videmus: propterea, quicumque hucusque sub eadem Beati Antistitis regula Deo seruire voluerūt, omnes sibi leges quasdam, seu cōstitutiones sigillatim de rebus omnibus, quæ in religiosæ, canonicæq. vitæ disciplinam, & statū caderent, pro suo quique ingenio, ac voto, præscripsere: id quod à nostris etiam hominibus centum, & quadraginta ab hinc annis (annus nunc agitur M. D. XLIX.) factum est: de quorū instituti ratione pariter, atque origine, antequā dicere aggrediamur, quædam pro re præfari libet. Enimuero, si quis ingenio etiam mediocri rerum mortalium condicionem, fluxamq. naturā, paulò atten-

tius

tius consideret, atque perpendat, is demum profectò, vt sapientissimè, ita verissimè, illud dictum esse intelliget, Rerum omnium esse vicissitudinem. Si quidem, vbi à cælo, ipsisq. cælitibus discesseris, quorum planè immortalis est, ac sempiterna natura, cetera omnia & elementa, & quæ ex elementis concreta sunt, tam animata, quàm inanima, siue rationis expertia sint, siue ratione vtantur, certo tempore necessariè soluũtur, atque intereunt. Vnde illud etiam efficitur, vt non ipsi solum homines non semper ijdem sint, sed hominum quoque sensus, voluntates, consilia, & opiniones, adde etiam victus, vestitus, mores, consuetudines, ac instituta aliquando commutentur. Cum enim omnia tempori subiecta sint, omnia etiam simul cum tempore fluant, transmutentur, & sese alias, atque alias subinde induant in formas, necesse est: quod sanè nõ temerè, nec casu, sed certa potius, admirabiliq. fit naturæ ratione, vt nimirum hac propagatione, successuq. continuato, immortalitatem quodãmodo res consequantur, ac simul vitæ satietas varietate tollatur. Quamobrẽ iure quidem optimo inepti semper ij habiti sunt, qui eundem in rebus statum perpetuò requirendum putauere: & morosi aliqui comprimis senes, qui omnia

ad

ad priſcos mores; anteq. acta tempora dirigentes nihil non reprehendant, & criminentur; quod à prima ipſorum memoria, vſuq. diſcrepet, atque recedat. Sed enim alia tempora alios neceſſariò mores habent; &, ſicuti cetera omnia, ita ciuitates, Reſpublicæ, imperia, regna, &, quibus illa nituntur, leges interdum commutantur. vt ne mirum quidẽ videri debeat, ſi ea, quę ad ipſas Reſpublicas, & imperia, ſimilitudine quadam, & affinitate accedunt, domus, familiæ, ſocietates, collegia, ſodalitates, ſacri quoque religioſorum virorum, feminarumq. cœtus, Congregationes quas appellant, nonnullam & ipſa interdum commutationem ſubeant, atque viciſſitudinem. Ac nobis quidem præclarè in primis illi feciſſe videri ſolent, qui rebus omnibus, tum ſpiritualibus, tum ſæcularibus, tam publicis, quàm priuatis, quæ certo quodam ordine, ac regula, diriguntur, ſtatis temporibus, quaſi luſtro quodam adhibito, conſulendum eſſe, & tamquam in vetere domo, quæ corrupta forent, repurganda; quæ proclinata, erigenda; quæ collapſa, reficienda; quæ nuper ad vitæ vſum adiumẽta, comprobanda, legibus partim abrogãdis, quibuſdã immutandis, partim etiam nouis inſtituẽdis, pro rerum cõſeruatione, communiq. homi-

num

num commodo, & vtilitate, censuere. Nam, etsi (quæ sapientissimorum virorum sententia est) leges nec facilè mutādæ, nec temerè rescindendæ sunt; nihil tamen ferè memoria dignum ab ijs actum est, qui arreptum semel qualecumque vitæ institutum ita mordicus tenuerūt, vt nulla postea ratione ab eo discedere, & vestigijs patrū, quæ ab ineunte ætate institerint, ne latum quidem (vt aiunt) vnguem se mouere animum induxerint. Sed ij potius magnam, ac immortalem sunt laudem consecuti, qui magno animo, magnoq. consilio, vbi res tulit, ac publica vtilitas postulauit, & vetera corrigere, & nouis quasi nascentibus morbis noua iure, atque ordine, ausi sunt afferre remedia. Leges quidem cū alij aliis, tum verò Aegyptijs Mercurius is, qui Trismegistus dictus est, Amphion Thebanis, Draco & Solon Atheniēsibus, Lycurgus Lacedæmonijs, omnes omnium sapientium iudicio præclarissimas, Romanis etiam Decemuiri dedere, quæ (vt eloquentissimus ipsorū scribit orator) omnium philosophorum bibliothecas, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate, superare viderentur: attamen nec has Romani, nec illas illi semper omnino retinuere: sed aliàs alijs, pro temporum varietate, fortunæq. vicissitudine, vsi

ſunt. vt hinc etiam illud, quod antea ſignificauimus, luculenter appareat, quàm fatui, quamq. væcordes dicendi ſint, qui eundem ſemper in rebus humanis modum, finemq. ſtatuunt; & ſi qua (vt aſſolet) in moribus, aut cibis, aut veſtibus, aut totius denique vitę cultu, quantumlibet leuis mutatio fiat, protinus velut ad portentũ aliquod clamitant, O tempora, ò mores: quaſi verò immortalitatem in rebus fluxis, atque caducis, ſtatuere fas ſit, ac non potius ad hominum vtilitatẽ, atque honeſtatem, quæ cauſarum multo, varioq. ſucceſſu nõ eædem ſemper habentur, reſpicere debeamus. Quæ igitur ab hominibus proficiſcuntur, ſimul etiam cum hominibus commutentur; ac porrò alia tempora alios mores, alij mores alias leges habeant, velimus, nolimus, neceſſe eſt. Sed, quorſum hæc tam multa? profectò, ne quid mirum videatur, ſi patres illi, qui religioſam hancce familiam noſtram in ſingulas ætates gubernandam ſuſceperunt, non eaſdem omnino & ipſi ſemper cõſuetudines, & inſtituta, tenuere. Nam, cum animaduerterent, ab ijs, qui eam primũ inſtituerunt, leges quaſdam eſſe poſitas, in quibus finem ſibi rerum Diuinarum cognitionem, contemplationemque, ſiue tu Dei cultum malis appellare, propoſuiſſent, vt eũ

facilius assequerentur omnes, qui deinceps in eum Ordinem adsciscerentur, aliquoties pro re nata eas leges nonnihil immutarunt, correxeruntque, nonnumquam etiam nouas addiderunt. Ac primum quidem (vt rem, quàm breuius fieri poterit, à principio repetamus) exstitit pater ille omni reuerentia, & memoria dignus Stephanus Senensis, quem ex omni religiosorum fratrum, Eremitanos quos vocant, familia vltro delegit, in quo potissimum collapsum ferè, atque iacentem ea tempestate Canonicorum Regularium Ordinem excitaret, ac redintegraret insignis pietate, ac religione Gregorius Venetus eius nominis Duodecimus Pontifex Maximus. Hunc igitur optimus Pontifex, vt eius Ordinis, quem animo iampridem destinarat, fundamenta iaceret, Lucam, vbi tum fortè erat, acciuit: eundemque, & sex alios lectissimos eiusdem familiæ patres, ac Stephani in eodẽ proposito socios, veros, ac germanos Canonicos Regulares instituit, ac declarauit, præcipuõ, ac proprio ipsius, Romanæq. Sedis dono scapulari super rocheto (qui Rochetus communis est omnium Canonicorum Regularium gestamen) insignitos; eumq. Ordinẽ Canonicorum Regularium Sãcti Saluatoris appellauit, sumpto nimirum cognomento à

Monasterio Diui Saluatoris in loco, quod Ilicetum ab Ilicibus, quibus frequens est, vocant, tribus ferè passuum millibus ab Vrbe Senis distante: quod quidem Monasterium, vt ante Stephanus ipse, & socij habitarant, ita ijs post Ordinem illum recens redintegratum ad habitandum Pontifex tradidit. Tum verò eosdem in suam, Romanæq. Sedis tutelam receptos multis, atque amplissimis priuilegijs donauit, quibus vniuersi eius Ordinis, & familiæ auctoritatem, ac dignitatem plurimam esse voluit. Sed primum omnium, ne quid tanto operi perficiendo deesset, tribus amplissimis viris Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus Antonio Episcopo Bononiensi Quæstori Pontificio, Gabrieli eiusdem ærarij præfecto, ac Ioanni, vtrique Episcopo nuper designato, Senarũ illi, huic Epidauri, quam Ragusiam recentiores vocant, mãdatum per litteras dedit, vt religiosis viris leges, ac viuendi formam, statuerent, quæ sibi pro Dei gloria ad eius Ordinis stabilimentum, conseruationem, amplificationẽq. expedire viderentur: quod egregiè ab illis nauatum est. Nam leges quasdam, paucas illas quidem, ac breues, vt exiguus erat id temporis hominum illorum numerus, sed magna tamen sapientia, & consilio excogi-

tatas tam Stephano, & alijs Canonicis in Mo
nasterio Ilicetano tum degẽtibus, quàm alijs
omnibus, qui eandem vitæ rationem vbicũ-
que in posterum eo in Ordine suscepturi es-
sent, obseruãdas dedere anno à Domini na-
tiuitate millesimo quadringẽtesimo octauo,
mense Aprili. quas leges, quoniã noua qua-
si illorum vita constitueretur, Cõstitutiones
appellarunt. Verùm, cum non ita multò post
Canonici illi Monasterio hocce Ilicetano,
iustis quibusdam de causis, quas in præsentia
referre non attinet, cessissent, ad quattuor
fermè annos incertis sedibus, quasi altera
Abraæ familia, à Deo tentati, quo fide po-
stea, & constantia clariores, atque illustrio-
res, euaderent, oberrarunt. Nam primus il-
lorum pater Stephanus Pontificem secutus
est, sedandæ seditionis causa, qua non me-
diocriter ea tempestate Christiana res, ac re-
ligio distrahebatur, huc illuc discurrẽtem:
reliqui verò Bononiam primum, deinde,
paucis ibi mensibus exactis, Fabrianum, An-
conitanæ regionis opidum, concessere, ibiq.
vsque ad annum nati Saluatoris millesimum
quadringentesimum quartumdecimum, qui
septimus ferè ab instituto eo Ordine erat,
piè, sanctéq. vitam duxere: quo nimirũ tem
pore, vt destinatis iam à Deo incrementis

Ordo ille adaugeretur, inde primùm in Monasterium D. Ambrosij, extra vrbem Eugubium, à præclarissimo viro Vidone Antonio à Montefeltrio Vrbini Comite, & Eugubij Principe, Pontifice ipso Gregorio probante, sibi attributum demigrarunt, ibiq. demũ, post multa discrimina, variosq. labores, læti conquieuerũt: deinde, breui temporis, idest quattuor ferè annorum interiectu, & numero, & fama, aucti, Bononiam, in Monasteriũ D. Saluatoris, cui alteru D. Mariæ, ad Rheni fluminis ripas, religionis iure copulatũ erat, (in quibus ab anno 1136. vsque ad illa tempora regularis obseruantia continuanter viguerat, quemadmodum authenticis monumentis constat, tum verò maximè priuilegio Innocẽtij IV. qui memoriam Rhenanæ Canonicæ multo ante sua tempora ponit) adsciti sunt. Nam, cum Canonici quidam Regulares, præcipui nominis, ac dignitatis, in ijs duobus Monasterijs antea floruissent, ac postea bellorũ incendio, multisq. inde consecutis calamitatibus, consumpti fuissent, Franciscus Giselerius, Bononiensis, vir non minus animi pietate, quàm generis nobilitate, præclarus, qui solus ex ijs omnibus superfuerat, ac primus ibi præerat, accepta Canonicorum illorum, in Monasterio Ambro-

siano

ſiano degentium, ſanctæ vitæ fama, quos etiã ante, cum Bononiæ agerent, viderat, ac obſeruarat, extinctam familiam ſuam ex illis reparare cogitauit. Itaq. operã dat, vt Martinus is, qui proximè Gregorio ſucceſſerat, eius nominis Quintus, Romanus Pontifex Maximus Monaſterium Ambroſianum cum duobus hiſce Bononienſibus vnius obſeruationis vinculo coniungat, atque in vnum, eundemq. Canonicorum Regularium Ordinem redigat: vnde nimirum illud etiam factum eſt, vt Canonici illi, licet Monaſterio Ilicetano iamdudum renuntiaſſent, retinerent tamen (ne, huius nominis occaſione, aliquod damnum incurrerent) cognomen, & titulum S. Saluatoris, decernente id Domino Papa Gregorio XII. per ſuas, datas Arimini die 25. Ianuarij: in quibus decreuit, vt Fratres Conſtantes Sancti Saluatoris nuncuparentur. quod perbelle, & mirè ſane accidit, cum etiam nobiliſsimum hocce Bononienſe eiuſdem, atque illud, cognominis eſſet, atque eundem feſtum pro ſuo titulo, Icone ſcilicet Sãcti Saluatoris de menſe Nouembris celebraret: iccircò, cum in Bononienſi ſecundo redintegratus Canonicorum noſtrorum ordo fuiſſet, propterea factũ eſt, vt Bononienſe ipſum Monaſterium, tamquã

prima

prima Congregationis origo, & fundamentum, primas postea in vniuerso Ordine ferret: Quamobrem, cum se Canonici nostri in tria iam hęc Monasteria, quasi in colonias quasdam, diffudissent, leges etiam, constitutionesque, quibus pauci, & vnum dumtaxat adhuc Monasterium incolentes vsi fuerant, magna ex parte immutare, & quasi dilatando ad modum, formamq. multiplici familię, & Congregationi accommodam, redigere necesse fuit. Itaque Pontifex ipse Martinus, cum in duo illa Monasteria Bononiæ illos Ambrosianos, Giselerij rogatu, (vt diximus) introduxisset, simul Antonio Episcopo Bononiensi Cardinali, vni ex tribus, quos anteà Constitutiones edidisse diximus, (quod alter nimirum ex collegis Roma id temporis abesset, alter dudum è vita migrasset) coram mandatum addidit, vt, vbi in prioribus illis rudioribus, ac ferè inchoatis, legibus, & constitutionibus, sancitum fuerat, vt Pater illius monasterij Ilicetani primus, & sex Canonici vnà, quiduis addere, seu detrahere, arbitratu suo, possent, ipse tum solus, ex animi sui sententia, alias leges, & constitutiones, quas religioni congruas, & Ordini nostro salutares, iudicaret, eadem, qua antea priores, auctoritate formaret, quibus Canonici nostri in po-

sterum

ſterum ſeſe, remq. ſuam communem, regerent, ac gubernarent. Quare ſapiens Antiſtes, vt Pontificis voluntatem pariter, atque imperium exſequeretur, cum ante rem omnem accuratius perpēdiſſet, id demum pronuntiauit, ac ſtatuit, vt magna comitia (quod vulgò Capitulū generale nuncupamus) primo quoque tempore à noſtris haberentur, atque in ijs penes Patres ipſos Ordinis eo conuocatos omne ius, & arbitrium priorum illarum legum, ac conſtitutionum corrigendarum, moderandarumque, atque adeò nouarum, pro ipſorum vſu, & commodo, condendarum foret: quæ tamen leges duarum ſaltem ex tribus electorum partibus conſenſu ſuffragijs probarentur. His itaque primū omniū in Monaſterio Ambroſiano Eugubij celebratis Comitijs, anno videlicet à Saluatore nato milleſimo quadringenteſimo vigeſimoquincto, tertio nonas Maias, qui poſtea agendorū comitiorū dies legitimus ad multos annos in Ordine fuit, ipſe Stephanus, primus vniuerſæ Congregationis Pater, ſeu (vt noſtri loquuntur) Prior generalis omnium ſuffragijs eſt declaratus. Atque hic primum Patres illi noſtri legum libellum, quibus adhuc ſub rudioribus illis, ac difficilioribus initijs vtcumque vſi fuerant, ritè (quemad-

m odum

modum Cardinalis decreuerat) emendarũt, ordinarunt, ac ferè innouarũt, omnia ad sua ipsorum tempora, statumq. Ordinis nõ præsentem modò, sed futurum etiam, quantum maxime intelligere potuerunt, referentes: atque ea quidem secunda Constitutionũ editio manu conscripta in Ordine fuit. Porrò, in ijs Constitutionibus, ad posterum trãquillitatem, Canonicã libertatem, disciplinãque, ac dignitatem Ordinis retinẽdam, cum multa quidem, tum verò illud in primis sapientissime certè cauerũt, nullum in Ordine decretum vim constitutionis posse habere, nisi ternis prius magnis continuatis Comitijs approbatum, & confirmatum: quod etiam in ipso Constitutionum exordio scriptum reliquerunt, his verbis: Ne autem de facili multiplicentur, vel irritentur Constitutiones, vel mutentur, nolumus, quod statutum aliquod habeat vim Cõstitutionis, nisi fuerit per duo Capitula generalia continua approbatum: & tunc confirmari poterit in tertio Capitulo immediatè sequenti, vel deleri, si magis expediens fuerit iudicatum. Hinc, sub ijs legibus, ac institutis, ad multos annos, hoc est vsque ad Xystum eius nominis Quartum, Sauonensem, Pontificem Maximũ, benè, beateq. Canonici nostri vixere, tametsi nõnihil

interim illis iure addi contigerit. Etenim, cum in dies ſuccreſceret,& tamquam feliciſſimus grex fetu vberiore religioſum ſodalicium noſtrum mirandum in modum adaugeretur, & ad tria illa, quæ antè commemorauimus, permulta alia monaſteria, loca,iura, ac bona acceſsiſſent, nonnulla interdum ex priore illa formula, ternis magnis Comitijs comprobata, decreta, ad Canonicorum cõmodũ, & vtilitatẽ, antè editis Conſtitutionibus Patres, neceſſariò addidere:quę additiones, etſi Pontificio priuilegio eã vim obtinerent, ac ſi ab ipſa Romana Sede iam tum cõfirmatæ fuiſſent; eas tamen, vnà cum ceteris Conſtitutionibus, atque Ordinis inſtitutis, quo ſtabilior, ac tutior, aduerſus malorum impreſsiones res noſtra foret, vnà etiã cum priuilegijs omnibus, quęcumque antea ab alijs Pontificibus Maximis familiæ noſtrę ab initio tributa fuerãt, ab ipſo Xyſto approbandas, confirmãdasq. curarunt. quo videlicet tempore ſecundum in Pontificatu ille agebat annũ, qui fuit ſalutis milleſimus quadringenteſimus ſeptuageſimus tertius, menſe Maio: qui idem Pontifex, ad religionem augendam, amplificãdamque, propemodum natus, nõ modò, quæ diximus, priuilegia ab alijs conceſſa confirmauit, ſed ijs multa etiã

alia

alia ipse adiecit, omniaque, quibus alij omnes Canonici Regulares, & Eremitanorũ ordo, necnon aliorum Canonicorum Regularium Cõgregatio, quam Lateranensium vocant, vterentur, Ordini nostro impertiuit, omnia certo cõsilio, vnico diplomate, plumbea nota consignato ad perpetuam facti memoriam, comprehensa, primo vniuersi Ordinis patre nuper declarato Bartholomæo Parmensi primum, collegisq. Censoribus omnibus item primum Angelo, & Vitale Bononiensibus, & Zacharia Veneto: quo certè facto contentos esse Patres illos nostros oportuit. Verùm, non ita multo post, anno vtiq. decimo postquam ea facta fuerunt, cum primoribus Patribus, qui tum ad Reipub. nostræ gubernacula sedebant, & ceteros in Ordine auctoritate anteibant, multa in ijs legibus tradita, partim obscura, quædam ambigua, partim difficiliora viderentur, quæ totũ Ordinem interdum conturbarent, ad omnia incommoda, difficultatesq. auferendas, quo mente tranquilliore religioni, rebusq. diuinis, Canonici nostri vacarent, animum appulere. Eamq. ad id operis peragendum ineunt rationem, vt in magnis Comitijs, in Monasterio Diui Michaelis Archãgeli Candianæ habitis, eo anno, qui alter, & octoge-

gesimus supra millesimum quadringentesimum ab hominum salute fuit, quo etiam totius Congregationis primatum inijt Lodouicus Foroliuiẽsis tertium, censurã verò Benedictus Florẽtinus decimum, Iacobus Parmensis octauum, & Io. Maria Venetus primũ; ex omni Patrum numero, qui ferendi suffragij ius haberent, septem potissimum deligãtur, qui Cõstitutiones omnes intra vnius mensis spatium recognoscant, corrigant, immutent, ac rursum arbitratu suo liberè conforment, omniaque, quæcũque statuerint, quo statim exsecutioni mandentur, postmodum auctoritate Pontificia confirmãda procurẽt; quod quidem illi munus vtcumque, pro tam exiguo in re tam graui temporis interuallo, exsecuti sunt, ita, vt sequenti quoque anno in magnis Comitijs Constitutiones illas nouas, quæcumque erant, promulgarint, cum iam ipse Benedictus Florentinus, quem superiore anno censuram gessisse diximus, primus totius Ordinis Pater quartum esset designatus, censores Marianus Florentinus sextum, Franciscus Carauagiensis, & Zacharias Venetus quartum. Verum id postea passim in Ordine vulgatum, non omnino plerisq. Patrum, Canonicorumq. placuit, plurimorum etiã animos grauissimè offendit, tum quòd,

præter

præter Canonicam disciplinam, & antiquã ternorum Comitiorum de legibus ferendis formulam, factum fuisset, tum quia pleraq. eorum, quæ à septem illis recens irrogata fuerant, communi vtilitati, Canonicæq. libertati, plurimũ repugnare perspicerentur. Quare, cum, gliscente in dies animorũ indignatione, res ad discordiam spectare videretur, Primusq. totius Ordinis Pater interim è medio excessisset, Innocentius Pontifex Maximus eius nominis Octauus, Genuensis, qui in Xysti locum paulò ante suffectus fuerat, iustis, atque asiduis vniuersæ Congregationis nostræ precibus fatigatus, persuasu etiam optimi viri Francisci Cardinalis Senensis, tum Ordinis nostri Protectoris, impendenti malo ita occurrendum putauit, vt statuerit, nouas septem illorum, quæ afferebantur, Constitutiones, etiam si ab ipso Xysto comprobatæ viderentur, nullas tamen Canonicos nostros adstringere, nisi quæ postea ternis magnis Comitijs deinceps celebrãdis, ex vetere antedicta legum formula, receptæ, approbatæ, & confirmatæ fuissent, debere: quo nimirũ, quasi Diuino quodam cælitus affulgente lumine, protinus omnis illa animorum tempestas sedata est. Itaque Senatus noster, eius decreti vi, suis pristinis legibus, ac libertati,

resti-

restitutus, incredibile est, quantum statum suũ auxerit,& amplificarit. Nam ferè septem illorum placita deleuit, cetera verò omnia in Constitutionibus magna diligētia, consilio, ac fide recognouit; quæ obscura erant, elucidando; quæ ambigua, distinguendo; quæ inutilia, auferendo; quę ardua nimis, ac difficilia, temperando; eaq. triginta tribus capitibus distincta tum primum typis excudenda curauit: quibus etiam S. Patris nostri Augustini Regulam, necnõ Ritualem librum, quod nos Ordinarium dicimus, hoc est ritus, ac cærimonias Ordinis continentem, vnde quadraginta capitibus similiter distributũ, addidit; quo scilicet tempore nonagesimus septimus supra millesimum quadringentesimum à virginis partu agebatur annus. Quãobrem hoc loco mirari satis non queo, quomodo Proœmium, impressioni huic præfixum, vitiosum, atque adulterinum esse animaduersum non fuerit; quando Constitutiones quidem ipsæ, quibus hucusque sanctissimè vsa est Congregatio nostra, non eæ sint, quas septem illi derepente effudere, sed quas omnis Patrum senatus ritè, ac iure, edidit, intra duodecim annorum spatium conformatas: cum tamen Præfationē illam perspicuum sit eam esse, qua septem illi vsi fuerant.

rant. quæ cum omnia ferè illorum placita (vt diximus) rescissa, atque abrogata sint, nescio, quo modo ipsa permanserit, quæ nonnullos nostrorum in magnos interdum errores inducere potuerit. Succesit interim Innocentio Alexander Sextus Valentinus, Pius Tertius Senensis Alexandro, & huic Iulius Secũdus Sauonensis, qui, vel quod è Xysti familia esset, qui nos plurimũ dilexerat; vel quia etiam ante Põtificatum Ordinis patrocinium gesserat; vel quod homo planè ad religionem illustrãdam, religiososq. cohonestandos, natura factus esset; vel potius his omnibus simul de causis, tãto vniuersam familiam nostram amore, ac potius pietate, prosecutus est, vt, cum de omnibus religiosis Ordinibus optimè meritus sit, longè tamen pluribus, & amplioribus honoribus, ac beneficijs, nostrum hunc vnum, quàm ceteros omnes, auxerit, & ornarit: qui etiam, dum in humanis ageret, cum in Monasterio nostro Diui Petri, ad Vincula quod vocant, in Vrbe ferè versaretur, & Canonicis nostris familiarius, quàm dici, aut credi posit, vteretur, à nostris meritò Ordinis Parens vocari solitus erat: atque etiam nunc Sanctiss. Pontificis, sicut in vniuerso Orbe Christiano ob Ecclesiam restitutã, imperiumq. Apostolicæ Sedis

propa-

propagatum, ita etiam apud nos, ob immortalia in vniuersum Ordinem nostrum merita, memoria gratissima cõseruatur. Is ergo, cum multa prius nobilia Monasteria, & Sacerdotia, Ordini nostro contulisset, quamplurima etiã, eaq. amplissima priuilegia ijs, quæ ante à Xysto, ab alijsque, qui Xysto deinceps ad ea vsque tempora successerant, acceperamus, addidit: eaq. omnia denuò in vnũ corpus compacta, litterisq. signo plumbeo consignatis perpetuæ memoriæ tradita, familiæ nostræ condonauit, anno eius Pontificatus nono, mense Aprili, qui ab humano genere seruato millesimus quingentesimus duodecimus numerabatur. Sed tamen illud omniũ maximum fuit, quòd non eo contentus præclarissimus Pontifex, quòd Xystus antea nos eorum, quos supra commemorauimus, priuilegijs participare voluisset, ipse quoque alia omnia addidit, quæ tam Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Carmelitarũ, & Seruorum Beatæ Mariæ, quàm Congregationi monachorũ S. Iustinæ, siue S. Benedicti Casinensis, à quibuscumque Romanis Pontificibus hucusque concessa essent, & in posterũ concederentur: atque ijs omnibus Ordinem nostrum perinde potiri statuit, ac si propria illi tributa, nostroq. nomine primũ inscripta

fuissent.

fuissent. Qui idem, cum dissidij, atque altercationis, Xysti tẽpore in Cõgregatione subortæ, cuius omnis necdũ memoria interciderat, causam nõ ignoraret, cũ omnes ante editas Constitutiones auctoritate sua confirmauit; tum verò in primis veterẽ formulam eã, quæ de abrogãdis, instituẽdis ve legibus est, (quòd eam iustissimã, & Ordini maximè salutarẽ, iudicaret) proprio, ac peculiari priuilegio sanxit, atque in omnem posteritatem obseruandã mandauit. Cuius quidem priuilegij verba nos operæpretium facturos, si hic subijceremus, existimauimus. Ea verò sunt:

,, Et dictę Cõgregationis Capitulũ generale,
,, siue in eo vocem pro tẽpore habẽtes, pro fe-
,, lici successu ipsius Congregationis S. Salua-
,, toris Statuta, Cõstitutiones, & Ordinationes,
,, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, &
,, temporalibus ipsius Congregationis, & eius
,, regularis disciplinæ statum, obseruantiã, in-
,, demnitatem, & circa Diuini Officij celebra-
,, tionẽ, directionẽ, & ordinationẽ, (absque ta-
,, men ipsius Regulæ, in substantia, vel in effe-
,, ctu, variatione) interpretationẽ, vel declara-
,, tionem, quoquomodò cõcernere potuerint,
,, auctoritate prædicta, instituendi, ordinandi,
,, interpretandi, & declarandi; & ea, quæ sic in-
,, stituta, ordinata, interpretata, vel declarata

> fuerint, in toto, vel in parte, prout rerum, vel temporũ qualitas exegerit, tollendi, alterandi, modificandi, innouandi, corrigẽdi, emendandi, ſuſpendendi, & in melius commutandi, plenam, & liberam in omnibus habeant facultatem, ita tamen, quòd nullę ordinationes in vno Capitulo generali decretæ vllam vim, & locum habere poſsint Conſtitutionis, niſi duæ ſaltem ex tribus partibus huiuſmodi vocem in ipſo Capitulo habentium concurrerint; & hoc ordine fuerint per duo alia immediata Capitula generalia ſequentia comprobatæ: quæ ſic, vt cõprobatæ fuerint, cenſeãtur mox Apoſtolico robore communitæ.

Hæc igitur præcipua cauſa fuit, vt in earum Cõſtitutionum obſeruatione ad quinque & quadraginta annos Canonici noſtri feliciter conquieuerint, quòd hac recenti ſanctione omnis omnibus adempta fuerit nouandi facultas. Verum, interiecto tempore, cũ neſcio quæ incidiſſent, quamobrem inter primores Ordinis Patres nõ ita omnino de rei adminiſtrandæ ratione conuenire videretur, tametſi id aut parui, aut potius nullius eſſet momẽti, attamen vir ampliſsimus Alexander Cæſarinus, Cardinalis, qui tum Ordinis patrociniũ gerebat, rem ſe præclaram factorũ ratus, id cum Põtifice egit Paulo eius nominis Tertio

Farnesio, Romano, vt eius decreto quattuor ex primoribus Patribus in magnis Comitijs, quæ proximè in Monasterio Candianēsi habenda essent, electi, ac præterea octo alij, suo ipsius accitu euocati, Romam, cōponendarū rerū causa, ad ipsum conuenirent, anno post Saluatorem natū millesimo quingentesimo quadragesimo primo, Patre totius Congregationis primo Angelico Bononiensi quartum, Censoribus Onuphrio Placētino quintum, Floriano Bononiensi quartum, & Phrydiano Veneto secundū. Cum ijs igitur Cęsarinus, vt bono, ac beneuolo animo, certè nō iure, multoq. aliter, atq. oportuit, ac rationibus nostris expediret, negotium illud tractauit, immoderata quadā, ac planè inutili, minimeq. necessaria legibus, & constitutionibus Ordinis censura irrogata. Nam, præterquā quòd id contra ternorum Comitiorum formulā egit, pleraq. ab re immutauit, multa superuacanea, alia etiā, quæ non minimum Ordini incōmodum allatura essent, non tam de cōmuni Patrum, quos adhibuerat, quàm de sua ipsius sententia, adiecit: quæ omnia, quamuis iam tum nostris obseruanda tradidisset, cum tamen pręproperè à se, ob aduersam valetudinem, qua interim ţenebatur, deliberata, aut potius inchoata intelligeret,

in aliud tempus, vbi conualuisset, accuratius recognoscenda, emendandaq. reiecit: quod fecisset profectò, nisi optimum prudẽtis Antistitis cõsilium mors importuna anteuertisset. Siquidẽ, paucis post diebus, ingrauescẽte morbo, antequam affectum illud opus perficeret, si non sibi, nobis certè alienissimo tempore extremũ ipse vitæ diem confecit. Nam, cum inopinatus eius interitus res nostras cõfusas, ac perturbatas reliquisset, Augustinus Triuultius, Cardinalis, qui eidem in Ordinis nostri patrocinium subrogatus est, non solũ, decreta illa Cæsarina (Reformationes quas appellarunt) vt abrogarentur, adduci non potuit, licet magnis Patrum nostrorum precibus identidem lacessitus; verũ etiã, breui post tempore, ipse quædam multo illis grauiora, & quæ ipsum Canonicæ vitæ statũ, naturãq. prorsus euerterent, cõmentus est; eaq. à Pontifice eodẽ, tantæ nouitatis ignaro, per eius litteras decernẽda, &, Canonicis nostris nihil tale cogitantibus, derepente Bononiæ in magnis Comitijs obtrudẽda curauit: cum tamen nescio quo modo idem rem iustam, & vniuersæ Congregationi nostræ gratã, ac salutarem, se facturum putasset: quod postea mutatum egregij Antistitis consilium declarauit. Etenim, cũ is multas, grauesq. passim

in vni-

in vniuerſo Ordine querellas, ac turbas noua eiuſmodi decreta conciuiſſe, atque ideo non paucos Patrum noſtrorum, quorum magna auctoritas, & gratia apud vniuerſam Cõgregationem, ac perſpecta fides eſſet, Romã ad Pontificẽ ipſum, opis cauſa, cõfugiſſe animaduerteret, exẽplo Innocentij cõmonitus, alias ab eodem Põtifice litteras abſtulit, quibus priores illæ abrogarentur, & omnia, quæ in illis iubebantur, irrita prorſus eſſe, ac pro nullis haberi, niſi prius ternis magnis Comitijs, ex vetere Ordinis inſtitutione, cõprobata, recepta, confirmataq. fuiſſent, decernerentur; ingenuè in ijs profeſſus, ſe planè nihil eiuſmodi (ſiquam modo eius formulæ, & conſuetudinis, antea notionem habuiſſet) attentaturum fuiſſe: quod tamen egit, conſilio in primis, ac iudicio impulſus Marcelli Creſcẽtij, Cardinalis ampliſsimi, ac ſapiẽtiſsimi viri, ad quem, poſtulantibus Patribus illis, à Põtifice fuerat ea cauſa delata. Obijt tamen interim primus Ordinis Pater Andreas Venetus, & paulò poſt Triuultius ipſe Protector. Cumq. cauſa illa, atque iudicium in tẽpore expediri minimè potuiſſet, Comitia (quod numquã antea in Ordine vſu venerat) in alterum annũ, ex nouis illis Triuultij decretis, dilata ſunt. Porrò hinc factũ eſt, vt, ſuis legibus,

Cano-

Canonicæq. libertati reſtituta, ſummã protinus pacem, ac tranquillitatem, conſecuta ſit religioſa Reſpub. noſtra. Nam ijs Comitijs, quæ nouiſsimè in Monaſterio Candianenſi acta ſunt; primum omniũ Pontificis litteræ, quibus libera, atque integra (vt ante ſignificauimus) de rebus ſuis Patrum Senatui cõmittebatur deliberatio, recitatæ, & ab omnibus, cũ ingenti animorum voluptate, ac plauſu, auſcultatæ ſunt. Deinde primus totius Ordinis Pater deſignatus Angelicus Bononien. quinctũ, eiusq. collegæ Cenſores Onuphrius Placentinus ſextum, Leonardus Venetus tertiũ, & Io. Paulus item Venetus primum facti. Tũ verò, inter alia multa, quæ in ijs Comitijs præclarè acta ſunt, illud præclariſsimũ certè fuit, quod noua illa Triuultiana decreta omnia ad vnum, ſummo, atque admirabili omnium Patrum conſenſu, repudiata, ac reiecta ſunt, ac ſimul etiam Cæſarina placita, quibus de ſupra commemorauimus, antiquata, paucis dumtaxat, nec ijs magni admodum momenti, receptis, quæ nimirum Cõgregationi conducere viſa ſunt: hoc eſt, De diuinis precibus; de cibis, abſtinentia, atque ieiunijs; de Canonicorum profeſsione; de rebus monaſteriorum, & aliorum regularium locorum non alienandis; de primi totius Ordinis Pa-

tris

tris auctoritate; Denique de Censorum, eiusque, quem Substitutū appelllamus, clectione: quæ omnia distinctius in Comitiorum actis perscripta, ac publicis litterarum monumentis per Ioannē Ransatium à Plebe Sacci, scribam egregium, mandata, necnon infra in Constitutionum libro, suo quæque loco dispolita leguntur. Et, quamuis ad ea obseruanda id satis esse videbatur, quòd, cum illa omnia in magnis Comitijs non bis iam, sed sæpius, discussa, atque examinata fuissent, hęc semper approbata, ac recepta fuerant; attamen, ad omnem religionis scrupulum abijciēdū, vniuersi Senatus nostri decreto, Patri totius Cōgregationis primo, Cēsoribusque, quos antea nominauimus, ac vnà Procuratori totius Ordinis in Romana Curia Iacobo Ferrariensi negotium datum est, vt illa quidē Pontificis auctoritate approbanda, & confirmāda; quæ verò reprobata, atque reiecta fuissent, reprobanda, atque reijcienda curarent. Quocirca illi, actutum Romā ad Pontificē ea de re adeuntes, non solum cōfecerunt; verū etiam (vt magis, ac magis fidem, caritatēq. suam in vniuersum Ordinem testatam relinquerent) illud à Pontifice obtinuerūt, quo nihil certè melius nobis contingere poterat, vt idē omnia priuilegia, immunitates, gratias,

& iura,

& iura, quæ Ordini noſtro, iam inde ab eius principio, cum alij quam plurimi Pontifices Maximi, tum verò magnus ille Iulius contulerant, auctoritate ſua in perpetuũ confirmarit, redintegraritque, & ſimul omnes Ordinis Conſtitutiones, tam quæ antea impreſsioni mandatæ fuerant, quàm quę ad eas poſtea ritè ternis magnis Comitijs vel ad hanc diem acceſsiſſent, vel in poſterũ acceſſuræ eſſent, comprobarit: quo inſigni beneficio deuincti homines noſtri, Sanctiſsimi Pontificis memoriã retinere debebunt beneuolentia ſempiterna. Id autem actum eſt ſtudio in primis, & opera Marcelli Creſcẽtij, Cardinalis eius, de quo ante etiam mẽtionem fecimus, cum is nuper in locum Triuultij defuncti familiæ noſtræ Protector, Pontifice ipſo non probãte modo, ſed ſummopere etiam laudãte, ſuffectus fuiſſet, vir cum omnis iuris ſcientia eximius, humanitateque, virtute, fide, iuſtitia, & integritate omnibus commendatus; tum verò de vniuerſo Ordine ante etiã, quàm eius protectionem ſuſcepiſſet, (quemadmodum antea ſignificauimus) ita meritus, vt ab omnibus noſtrę Cõgregationis hominibus præcipuè ſemper amandus ſit, colendus, ſuſpiciẽdus. Exſtant verò de huiuſmodi cõfirmatione locupletiſsimę ipſius Pontificis litteræ,

anulo

anulo Piscatorio, ad perpetuam memoriam, consignatæ, hoc eodem anno, vtique octauo & quadragesimo supra millesimũ quingẽtesimũ à Christo nato, quinctodecimo kalẽd. Sextileis. Iam verò Pater idem Ordinis primus, collegæq. Censores, (quæ vna reliqua erat illis à Patribus in Comitijs prouincia delegata) Constitutiones omnes, vel quas antea impressas hucusque præ manibus habuimus, vel quæ ijs postea ternis magnis Comitijs deinceps additæ, nec minus quæ tum postremò ex Cæsarinis decretis receptæ fuerant, cum omnes iam à Põtifice (vt diximus) essent comprobatæ, antè confusas, atque dispersas in vnũ collegere, ac suo quæque loco disponẽdo, mendasq. quibus prior illa impressio vndiq. librarij incuria plurimũ scatebat, tollẽdo, eas, vnà cum Patris Augustini Regula, & ea, ad emẽdatissimos codices ita castigata, vt ne verbum quidem à vera, germanaq. sanctissimi doctoris lectione dissentiat; necnon Rituali libro duobus amplius quàm prius capitibus, ob ea, quæ postea ritè accesserunt, distincto, vt omnes omnia in promptu ad legendũ haberent, summo studio, ac fide, incredibiliq. labore imprimendas curauere: quod facilè candidos, ac studiosos fratres nostros cõcessuros, si hãc ipsã

editionem cũ altera illa priore contulerint, arbitramur. Ecce igitur iterũ vobis, fratres cariss. in lucem prodit Regulæ, Constitutionũq. vestrarum liber, quartò iste quidẽ editus, sed secũdò impressus: quẽ profectò si accuratius inspiciamus, ac perpẽdamus, ita demũ omnia ordinata, temperataq. intelligemus, vt nihil iam in eo grauius, aut inhumanius, quàm nostra ferat ætas, & condicio, (nisi omni prorsus pietatis spiritu careamus) dici; nihil præterea ad vitã religioni, Canonicoq. instituto congruenter degendã omnino desiderari posse videatur. Quãobrem has leges nostras, toties antea à viris sanctissimis, Põtificibus Max. certa ratione cõprobatas, tãquã firma, certaq. imbecillitatis nostræ adiumenta, ex animo suscipiamus, has amplexemur, his pareamus, in his gloriemur; illudq. pro certo habeamus, tamdiu præclare nobiscũ actũ iri, quoad eas nobis sanctè statuerimus esse obseruandas: has deniq. ita tueamur, vt nihil vmquam in ijs tollendũ, nihil mutãdũ, nouandũq., nisi iure, atque ex ipso Ordinis instituto, siquid aliquando pro cõmuni omniũ vtilitate, cõmodo, ac dignitate statuẽdũ videtur, putemus: atq; ita quidẽ fiet, vt, tametsi noui aliquid, pro tẽporũ ratione, interdũ constituamus, nũquam tamen à legibus no-

ſtris, priſcaq. viuẽdi forma, diſcedamus: quæ tam in noſtra, quàm in alia quauis, ſeu religioſa, ſeu profana Repub. vna eſt (nobis credite) atque optima amoris, concordiæ, pacisq. conſeruandæ ratio. Hæc itaq. vna ſit cũ omnium noſtrũ ſtabilis, cõſtans, perpetuaq. ſententia; tum veſtrũ maximè, quibus, vti ſapientioribus, & Ordinis amãtioribus, alijs præeſſe, atque huiuſce religioſæ familiæ gubernacula pro tẽpore tractare datur. Neque enim vobis in eo gloriandũ eſt, ſi vitæ huius cõmoditates, fructus, delectationesq. percipiatis; ſi magno apud fratres veſtros in honore ſitis, atq. in altiore dignitatis gradu collocati; ſi præcipuam in Ordine auctoritatẽ, ac poteſtatẽ geratis: quę ſine dubio momentanea bona, atq. onera potius, quàm munera ſunt; quæq. ipſi primum, cum baptizati fuimus, repudiauimus; deinde, cũ nos religioni, cultuiq. diuino dedimus, in hoc ſacrũ Collegium cooptari, rurſum magno, elatoq. animo cõtempta reliquimus, in paupertate, caſtimonia, obedientiaq., & ſubiectione vitã pro Chriſti amore, ac immortalitatis deſiderio tranſacturi. Sed in eo potiùs gloriã veſtrã ſtatuite, ſi, veluti præclari paſtores, cõmendati vobis gregis vtilitatem veſtris ipſorum cõmodis anteponatis; ſi ſubiectorũ fratrũ recepta humeris

veſtris onera patienter ſuſtineatis; ſi eorũ erratis piè indoleatis; ſi non tã ſeuere pœnas irrogare peccantibus, quàm aſſiduis precibus, atq. lacrymis, etiã veniã à Deo, ęque omniũ iudice, exorare ſupplicibus ſtudeatis; ſi denique ad eorũ, totiusq. Ordinis pacẽ, trãquillitatẽ, ſalutẽq., dies, ac noctes fideliter, atque amãter incumbatis. Hæc nimirum certa bona, hæc immortalia opera, ſunt: quæ qui faciunt, eos vera, ac ſolida apud homines gloria, certiſsimaq., & incõparabilis in cælo apud Deũ Opt. Max. manet remuneratio. Longiores aliquãtò, quàm Prooemio fortaſſe conuenire videretur, fuimus: ſed id tñ haud temerè à nobis factũ eſt, nẽpe quo oẽs Congręgationis noſtræ, ab eius (vt ita dicamus) incũnabulis, vſque ad noſtra hæc tempora, ſucceſſus, ſummatim, ante oculos, fratribus noſtris, quaſi Chronicon quoddã, proponeremus: vno in conſpectu vidẽdos: quãdoquidẽ illud apprimè in hoc noſtro vitæ genere vtile fore exiſtimauimus, ſi nihil rerũ noſtrarũ, pręſertim quæ plus momenti habere viderentur, à noſtris hominibus ignoraretur. Sed ipſam iam Regulã, Legesq., ſeu Conſtitutiones iubentes, necnõ Ritualem pręcipientẽ, audiamus. Romæ. M.D.XLIIX. menſe Ianuario.

Cyclus Epactarum.	Litt. Dñi-cal.	[illegible]	Dies mensis.	IANVARIVS Habet dies 31. Luna vero 30.
✠	A	Kalendis	1	Circumcisio Domini. Duplex.
xxix	b	iiij	2	Oct. S. Stephani. Duplex cum comem. octauarum.
xxviii	c	iij	3	Oct. S. Ioannis. Duplex cum com. oct.
xxvii	d	Prid. No.	4	Octaua SS. Innocentium. Duplex. Vigilia
xxvi	e	Nonis.	5	
25 xxv	f	viij	6	Epiphania Domini.
xxiiii	g	vij	7	De octaua Epiphaniæ.
xxiii	A	vj	8	De octaua. } Semidup.
xxii	b	v	9	De octaua. }
xxi	c	iiij	10	De octaua. }
xx	d	iij	11	De oct. & com. S. Higinij Papę, & mar.
xix	e	Prid. Id.	12	De octaua.
xviii	f	Idibus	13	Octaua Epiphaniæ. Dup.
xvii	g	xix	14	Hilarij Epi & Conf. Semid. fuit prima Ian. & com. S. Felicis Presb. & Mar.
xvi	A	xviij	15	Pauli primi Eremitæ. Semid. fuit 10. Ian. & com. S. Mauri Abbatis.
xv	b	xvii	16	Marcelli Papæ, & Martyris. Semidup.
xiiii	c	xvi	17	Antonij Abbatis. Duplex.
xiii	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romæ, Duplex & com. S. Priscę Virginis, & Mart.
xii	e	xiiii	19	Marij, Marthæ, Audifax, & Abachum, Mart.
xi	f	xiii	20	Fabiani, & Sebastiani Mart. Dup.
x	g	xii	21	Agnetis Virginis, & Martyris. Duplex.
ix	A	xi	22	Vincentij, & Anastasij Mart. Semid.
viii	b	x	23	Emerentianæ Virginis, & Martyris.
vii	c	ix	24	Timothei Episcopi, & Martyris.
vi	d	viii	25	Conuersio S. Pauli Apostoli. Duplex.
v	e	vii	26	Polycarpi Episcopi, & Martyris.
iiii	f	vi	27	Ioannis Chrysostomi Episcopi, & Cōfessoris. Duplex.
iii	g	v	28	Agnetis secundo.
ii	A	iiii	29	
i	b	iii	30	
✠	c	Prid. Kal.	31	

FEBRVA-

Cyclus Epactarum	Lit. Dominical.		Dies mensis.	F E B R V A R I V S Habet dies 28. Luna vero 30.
xxix	d	Kalend.	1	Ignatij Episcopi, & Martyris. Semidup.
xxviii	e	iiii	2	Purificatio Beatæ Mariæ. Duplex.
xxvii	f	iii	3	Blasij Episcopi, & Martyris.
25 xxvi	g	Prid. No.	4	
xxv xxiiii	A	Nonis.	5	Agathæ Virg. & Martyris. Semiduplex.
xxiii	b	viii	6	Guarini Episcopi Cardinalis Cõfessoris Canonici Regularis. Semid. & commemoratio S. Dorothæ Virginis, & Martyris.
xxii	c	vii	7	
xxi	d	vi	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ Virginis, & Martyris.
xix	f	iiii	10	
xviii	g	iii	11	
xvii	A	Prid. Id.	22	
xvi	b	Idibus.	13	
xv	c	xvi	14	Valentini Martyris.
xiiii	d	xv	15	Faustini, & Iouitæ Martyrum.
xiii	e	xiiii	16	
xii	f	xiii	17	
xi	g	xii	18	Simeonis Episcopi, & Martyris.
x	A	xi	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	
vii	d	viii	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. duplex.
vi	e	vii	23	Vigilia.
v	f	vi	24	Matthiæ Apostoli. Duplex.
iiii	g	v	25	
iii	A	iiii	26	
ii	b	iii	27	
i	c	Prid. Kal.	28	Translatio secunda S. Augustini Episcopi Patris nostri. duplex.

In Anno Bissextili Februarius est dierum 29. & festum S. Matthiæ celebratur 25. Februarij, & bis dicitur, sexto Kalendas, id est, die 24. & die 25. & litera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Ianuario, mutatur in præcedentem: Vt si in Ianuario litera Dominicalis fuit E mutetur in præcedentem, quæ est D, vt contingit hoc Anno 1592. &c.

MAR-

[illegible]	[illegible]	[illegible]	Dies mensis.	MARTIVS Habet dies 31. Luna verò 30.
*	d	Kalend.	1	Herculani Episcopi Martyris. Canonici Regularis. Semiduplex.
xxix	c	vi	2	Albini Episcopi Confessoris Canonici Regularis. Semiduplex.
xxviii	f	v	3	
xxvii	g	iiii	4	
xxvi	A	iii	5	
xxv	b	Prid. No.	6	
25 xxiiii	c	Nonis	7	Thomæ de Aquino Confessoris. Duplex, & commemoratio SS. Perpetuæ, & Felicitatis Martyrum.
xxiii	d	viii	8	
xxii	e	vii	9	Quadraginta Martyrum, Semiduplex.
xxi	f	vi	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iiii	12	Gregorij Papæ, & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris. Duplex.
xviii	b	iii	13	
xvii	c	Prid. Id.	14	
xvi	d	Idibus.	15	
xv	e	xvii	16	
xiiii	f	xvi	17	
xiii	g	xv	18	
xii	A	xiiii	19	Ioseph Confessoris. Duplex.
xi	b	xiii	20	
x	c	xii	21	Benedicti Abbatis. Duplex.
ix	d	xi	22	
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	
vi	g	viii	25	Annunciatio B. Mariæ. Duplex.
v	A	vii	26	
iiii	b	vi	27	
iii	c	v	28	
ii	d	iiii	29	
i	e	iii	30	
*	f	Prid. Kal.	31	

Cyclus Epactarum.	Litt. Dñical.		Dies mensis.	APRILIS. Habet dies 30. Luna vero 30.
xxix	g	Kalend.	1	
xxviii	A	iiii	2	S. Francisci de Paula Confessoris. Dup.
xxvii	b	iii	3	
25 xxvi	c	Prid. No.	4	
xxv xxiiii	d	Nonis.	5	
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	Translatio S. Monicæ Matris S. Patris Augustini. Duplex.
xix	b	iiii	10	
xviii	c	iii	11	Leonis Papæ, & Confessoris. Duplex.
xvii	d	Prid. Id.	12	
xvi	e	Idibus.	13	
xv	f	xviii	14	Tiburtij, Valeriani, & Maximi Martyrum.
xiiii	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	Aniceti Papæ, & Martyris.
xi	c	xiiii	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	
viii	f	xi	21	
vii	g	x	22	Sotheris, & Caij Pontificum, & Martyrum. Semiduplex.
vi	A	ix	23	Georgij Martyris. Semiduplex.
v	b	viii	24	
iiii	c	vii	25	Marci Euangelistæ.
iii	d	vi	26	Cleti, & Marcellini Pont. & Martyrũ. Semiduplex.
ii	e	v	27	
i	f	iiii	28	Vitalis Martyris.
✠	g	iii	29	Petri Martyris. Duplex.
xxix	A	Prid. Kal.	30	

MAIVS

Cyclus Epactarum.	Lrae Dñical.		Dies mensis.	MAIVS Habet dies 31. Luna verò 29.
xxviij	b	Kalend.	1	Philippi, & Iacobi Apostolorũ, Dupl.
xxvij	c	vj	2	Athanasij Episcopi, & Cõfessoris, Dup.
xxvj	d	v	3	Inuentio Sãctæ Crucis, Duplex & commemoratiõ SS. Alexandri, Euentij, & Theoduli Martyrum, ac Iuuenalis Episcopi, & Confessoris.
25 xxv	e	iiij	4	Monicæ viduæ, Duplex.
xxiiij	f	iij	5	Conuersio S. Augustini P. N.
xxiij	g	Prid. No.	6	Ioãnis ante portam Latinam. Duplex.
xxij	A	Nonis.	7	
xxj	b	viij	8	Apparitio S. Michaelis. Duplex.
xx	c	vij	9	Gregorij Theologi Epi, & Conf. Dup.
xix	d	vj	10	Gordiani, & Epimachi Martyrum.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iiij	12	Nerei, Archilei, & Pancratij Mart.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid. Id.	14	Bonifacij Martyris.
xiiij	b	Idibus.	15	Bernardi Confessoris Can. Reg. Semid.
xiij	c	xvij	16	Vbaldi Epi Conf. Can. Reg. Semidup.
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiiij	19	Pudentianæ Virginis.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iiij	e	viij	25	Iconę S. Saluatoris tt. Cõg. nostrę Dup. & com S. Vrbani PP. Mar. in laud. tm.
iij	f	vij	26	De octaua Iconæ, S. Eleutherij Papæ Martyr.
ij	g	vj	27	De octaua Iconæ, & commemoratio. Sancti Ioannis Papæ Martyris.
j	A	v	28	De octaua Iconæ.
✠	b	iiij	29	De octaua Iconæ.
xxix	c	iij	30	De oct. & com. S. Felicis Papæ Mart.
xxviij	d	Prid. Kal.	31	De octaua, & commemoratio S. Petronillæ Virginis.

Cyclus Epactarum.	Lræ Dñicāl.		Dies mensis.	IVNIVS. Habet dies 30. Luna verò 30.
xxvij	e	Kalend.	1	Octaua Iconæ S. Saluatoris. Duplex.
25 xxvj	f	iiij	2	Marcellini, Petri, & Erasmi Martyrum.
xxv xxiiij	g	iij	3	
xxiiij	A	Prid. No.	4	
xxiij	b	Nonis.	5	
xxij	c	viij	6	
xxj	d	vij	7	
xx	e	vj	8	
xix	f	v	9	Primi, & Feliciani Martyrum.
xviij	g	iiij	10	
xvij	A	iij	11	Barnabæ Apostoli, Duplex.
xvj	b	Prid. Id.	12	Basilidis, Cyrini, Nab. & Nazarij Mart.
xv	c	Idibus.	13	Antonij de Padua Cõfessoris Duplex.
xiiij	d	xviij	14	Basilij Episcopi, & Cõfessoris. Duplex.
xiij	e	xvij	15	Viti, Modesti, & Crescentiæ Martyrũ.
xij	f	xvj	16	
xj	g	xv	17	
x	A	xiiij	18	Marci, & Marcelliani Martyrum.
ix	b	xiij	19	Geruasij, & Prothasij Martyrum.
viij	c	xij	20	Siluerij Papæ, & Martyris.
vij	d	xj	21	
vj	e	x	22	Paulini Episcopi, & Confessoris.
v	f	ix	23	Vigilia.
iiij	g	viij	24	Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Duplex.
iij	A	vij	25	Prosperi Episcopi Cõfessoris Canonici Regularis. Semiduplex, & commemoratio octa.
ij	b	vj	26	Ioannis, & Pauli Martyrum. Semiduplex, cum commemoratio. octauæ Natiuitatis S. Ioannis.
j	c	v	27	De octaua Natiuitatis Sancti Ioannis.
✠	d	iiij	28	Leonis Papæ, & Confessoris. Semiduplex, & commemoratio Octauæ, & Vigiliæ.
xxix	e	iij	29	Petri, & Pauli Apostolorum, Duplex.
xxviij xxvij	f	Prid. Kal.	30	Commemoratio Sancti Pauli Apostoli Duplex. cum commemor. Octauæ Sancti Ioannis.

Cyclus Epactarum.	Lræ Dñical.		Dies mensis.	IVLIVS Habet dies 31. Luna vero 29.
xxvj		Kalend.	1	Octaua S. Ioannis Baptistæ, Duplex. & commemoratio Octauæ Apost.
25 xxv	A	vj	2	Visitatio B.Mariæ, Dup. cũ cõm. Oct. Apost.& SS.Processi, & Martin. m̃.
xxiiij	b	v	3	De Octaua Apostolorum.
xxiij	c	iiij	4	De octaua.
xxij	d	iij	5	De octaua.
xxj	e	Prid. No.	6	Octaua Apostol. Petri,& Pauli, Dupl.
xx	f	Nonis.	7	
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem fratrum Mar.& SS. Ruffinæ,ac Secundæ Virg. & Mart. Semiduplex.
xvj	c	v	11	Pij Papæ, & Martyris.
xv	d	iiij	12	Naboris, & Felicis Martyrum.
xiiij	e	iij	13	Anacleti Papæ, & Mar. Semidup.
xiij	f	Prid. Id.	14	Bonauen. Pót. Cóf.& Doct. Eccl. Dup.
xij	g	Idibus.	15	
xj	A	xvij	16	*
x	b	xvj	17	Alexij Confessoris.
ix	c	xv	18	Symphorosæ cum septem filijs Mart.
viij	d	xiiij	19	
vij	e	xiij	20	Margaritæ Virginis, & Martyris.
vj	f	xij	21	Praxedis Virginis.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ. Duplex.
iiij	A	x	23	Apollinaris Episcopi,& Mart. Semid.
iij	b	ix	24	Vigilia, & commemorat. S. Christinæ Virginis & Martyris.
ij	c	viij	25	Iacobi Apost. Dupl. & com. S. Christophori Mart. in laudibus tantum.
j	d	vij	26	Annę Matris Beatę Marię Virg. Dup.
✠	e	vj	27	Pantaleonis Martyris.
xxix	f	v	28	Nazarij, Celsi, & Victoris Mart. ac Innocentij Papæ, & Conf. Semid.
xxviij	g	iiij	29	Marthæ Virg. Semidup. & com. SS. Felicis, Simplicij, Faust.& Beatr. Mart.
xxvij	A	iij	30	Abdon, & Sennen. Martyrum.
xxvj	b	Prid. Kal.	31	

Cyclus Epictarum.	Lrae Dnical.		Dies mensis.	A V G V S T V S Habet dies 31. Luna verò 30.
xxv xxiiij	c	Kalend.	1	Petri ad vincula. Dup. & cõ. ss. Mac. m.
xxiij	d	iiij	2	Stephani Papæ, & Martyris.
xxij	e	iij	3	Inuẽtio S. Stephani Protomar. Semid.
xxj	f	Prid. No.	4	Dominici Confessoris. Duplex.
xx	g	Nonis.	5	S. Mariæ ad Niues. Duplex.
xix	A	viij	6	Trãsfiguratio D. N. Iesu Christi. Dup. & cõm. SS. Sixti, & socin laud. tm.
xviij	b	vij	7	De octaua, & cõmem. S. Donati Episcopi mart.
xvij	c	vj	8	Ciriaci, Largi, & soc. m. se. & cõ. oct. Tr.
xvj	d	v	9	De oct. & cõ. S. Rom. m. & Vig. S. Lau.
xv	e	iiij	10	Laurentij Mart. Dup. & cõ oct. Trãsf.
xiiij	f	iij	11	De oct. Trãsf. & cõ. oc. S. Lau. & ss. Tiburtij, & Susannæ m. (ræ virg.
xiij	g	Prid. Id.	12	De oct. Trãsf. & cõ. oct. S. Lau. & S. Cla
xij	A	Idibus.	13	Oct. Transf. Dup. & cõm. oct. S. Laur. & SS. Hyppoliti, & soc. & S. Simpl.
xj	b	xix	14	De oct. S. Lau. & cõ. Vig. & S. Eus. cõf.
x	c	xviij	15	Assumptio B. Mariæ Virginis. Duplex.
ix	d	xvij	16	De oct. Ass. B. Mariæ, & cõ. oct. S. Lau.
viij	e	xvj	17	Oct. S. Laur. Dupl. & cõ. oct. Assũpt.
vij	f	xv	18	De oct. Assũp. & cõ. S. Agapiti Mart.
vj	g	xiiij	19	De octaua.
v	A	xiij	20	Bernardi Abbatis. Duplex. cõm. oct.
iiij	b	xij	21	De octaua.
iij	c	xj	22	Oct. Assũpt. B. Mariæ dup. com. SS. Ti
ij	d	x	23	Vigilia. (mothei, & soc. Mart.
j	e	ix	24	Bartholomæi Ap. Dup. Romæ cel. 25.
✠	f	viij	25	Ludouici Confessoris.
xxix	g	vij	26	Zepherini Papæ, & Mart.
xxviij	A	vj	27	Vigilia.
xxvij	b	v	28	Augustini Episcopi Cõfess. P. N. Dup. & cõ. S. Hermetis Mart. in laud. tm.
xxvj	c	iiij	29	Decollatio S. Io. Baptistę, Dup. & cõm. oct. S. Patris August. & S. Sabinæ m.
25 xxv	d	iij	30	De octaua S. P. August. & commem. SS. Felicis, & Adaucti martyrum.
xxiiij	e	Prid. Kal.	31	De octaua Sancti Patris Augustini.

Cyclus Epactarum.	Lrae Dñical.		Dies mensis.	SEPTEMBER Habet dies 30. Luna vero 29.
xxiij	f	Kalend.	1	De oct. S. Patris Augustini. & com. S. Egidij Abbatis, & SS. Mar. 12. fratrũ.
xxij	g	iiij	2	De octaua Sancti Patris Augustini.
xxj	A	iij	3	De octaua Sancti Patris Augustini.
xx	b	Prid. No.	4	Octaua S. Augustini P. nostri. Dup.
xix	c	Nonis.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	Natiuitas B. Mariæ. Duplex. & cõm. S. Adriani Mart. in laudibus tantum.
xv	g	v	9	De octaua S. Mariæ, & comm. S. Gorgonij Martyris.
xiiij	A	iiij	10	Nicolai Tolent. Conf. Dup. cõm. oct.
xiij	b	iij	11	De octaua, & cõm. SS. Prothi, & Hyacinthi Martyrum.
xij	c	Prid. Id.	12	De octaua.
xj	d	Idibus.	13	De octaua.
x	e	xviij	14	Exaltatio. S. Crucis. Duplex, & commemoratio octauę Natiuit. S. Mariæ.
ix	f	xvij	15	Octaua Natiuitatis B. Mariæ. Duplex, & cõmemoratio S. Nicomedis Mar.
viij	g	xvj	16	Cornelij, & Cypriani Põt. mar. Semid.
vij	A	xv	17	(& cõm. SS. Eufemiæ & soc. m̃.
vj	b	xiiij	18	
v	c	xiij	19	Ianuarij Epi, & sociorum. Dupl.
iiij	d	xij	20	Vigil. & cõm. S. Eustachij, & soc. Mar.
iij	e	xj	21	Matthæi Apostoli. Duplex.
ij	f	x	22	Mauritij, & sociorum Martyrum.
j	g	ix	23	Lini Papę, & Martyr. Semidup. & commemoratio S. Theclæ virg. & Mart.
✠	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani, & Iustinæ martyrum.
xxvij	d	v	27	Cosmæ, & Damiani Mart. Semidup.
25 xxvj	e	iiij	28	
xxiiij	f	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Archang. Dup.
xxiij	g	Prid. Kal.	30	Hieronymi Presb. Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris, Duplex.

OCTO-

Cyclus Epactarum.	Lrę Dnical.		Dies mensis.	OCTOBER Habet dies 31. Luna verò 30.
xxij	A	Kalend.	1	Remigij Episcopi, & Confessoris.
xxj	b	vj	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iiij	4	Francisci Confessoris, Duplex.
xviij		iij	5	
xvij	f	Prid. No.	6	
xvj	g	Nonis.	7	Marci Papæ, & Confessoris, & commemoratio SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij Martyrum.
xv	A	viij	8	
xiiij	b	vij	9	Dionysij, Rust. & Eleutherij m. semid.
xiij	c	vj	10	Cerboni Episcopi Confessoris, Canonici Regularis Semiduplex.
xij	d	v	11	Translatio prima S. Augustini Patris nostri, Duplex.
xj	e	iiij	12	Ioannis Confessoris Canonici Regularis, Semiduplex.
x	f	iij	13	
ix	g	Prid. Id.	14	Calixti Papæ, & martyr.
viij	A	Idibus.	15	
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	Lucæ Euangelistæ, Duplex.
iiij	e	xiiij	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis, & commemor. SS. Vrsulę, & sociarũ Virginum, & Mar.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanti, & Dariæ Martyrum.
xxvij	e	vij	26	Euaristi Papę, & Martyris.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
25 xxv	g	v	28	Simonis Iudæ, & Apostolorum. Dup.
xxiiij	A	iiij	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid. Kal.	31	Vigilia.

NOVEM-

Cyclus Epactarum.	Lrae Dñical.		Dies mensis.	NOVEMBER Habet dies 30 Luna verò 29.
xxj	d	Kalend.	1	Festum omnium Sanctorum. Duplex.
xx	e	iiij	2	Commemoratio omnium fidelium defunct. Dup & De oct. omniũ Sanct.
xix	f	iij	3	De octaua.
xviij	g	Prid. No.	4	De oct. & cõ. SS. Vital. & Agric. Mar.
xvij	A	Nonis.	5	De octaua.
xvj	b	viij	6	De octaua.
xv	c	vij	7	De octaua.
xiiij	d	vj	8	Octaua omnium Sanctorũ. Dup. & cõmem. SS. Quatuor Coronat. Marty.
xiij	e	v	9	Dedicatio Basil. Saluatoris, Dup. & cõmem. S. Theodori Mar.
xij	f	iiij	10	Triphonis, Respicij, & Nymphę Mart.
xj	g	iij	11	Martini Episcopi & Confessoris, Dup. & commem. S. Mennæ Martyris.
x	A	Prid. Id.	12	Martini Papę, & Martyris. Semid. ap.
ix	b	Idibus.	13	
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorij Thaumaturgi Epi, & Conf.
iiij	g	xiiij	18	Ded. Basilicarũ SS. Petri & Pauli. Dup.
iij	A	xiij	19	Frigdiani Episcopi Cõfessoris Canon. Regul. Semidupl. & cõmemoratio. S. Pontiani Papæ, & Mart.
ij	b	xij	20	Gelasij Papæ Cõf. Canon. Reg. Semid.
j	c	xj	21	Præsentatio Beatæ Mariæ. Duplex.
*	d	x	22	Cęciliæ Virginis, & Martyris. Semid.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ, & Martyris. Semiduplex, & com. S. Felicitatis Mart.
xxviij	f	viij	24	Chrysogoni Martyris.
xxvij	g	vij	25	Catherinę Virginis, & Marty. Duplex.
25 xxvj	A	vj	26	Petri Alexandrini Episcopi, & Martyr.
xxv. xxiiij	b	v	27	
xxiij	c	iiij	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia, & commem. S. Saturnini Mar.
xxj	e	Prid. Kal.	30	Andreę Apostoli. Duplex.

DECEM-

Cyclus Epactarum.	Lřæ Dñical.		Dies mensis.	DECEMBER Habet dies 31. Luna vero 30.
xx	f	Kalend.	1	
xix	g	iiij	2	Bibianę Virginis, & Martyris.
xviij	A	iij	3	
xvij	b	Prid. No.	4	Barbarę virginis, & Martyris. côm.
xvj	c	Nonis.	5	Sabbæ Abbatis Confessoris. côm.
xv	d	viij	6	Nicolai Episcopi, & Côfess. Semidup.
xiiij	e	vij	7	Ambrosij Episcopi Confessoris, & Ecclesiæ Doct. Duplex.
xiij	f	vj	8	Conceptio Beatæ Mariæ, Duplex.
xij	g	v	9	
xj	A	iiij	10	Melchiadis Papæ, & martyris. côm.
x	b	iij	11	Damasi Papę, & Côfessoris, Semidup.
ix	c	Prid. Id.	12	
viij	d	Idibus.	13	Luciæ Virginis, & Martyris. Duplex.
vij	e	xix	14	
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iiij	A	xvj	17	*
iij	b	xv	18	
ij	c	xiiij	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
✠	e	xij	21	Thomæ Apostoli, Duplex.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	Natiuitas D. Nostri Iesu Christi Dup.
25 xxv	c	vij	26	Stephani Protomartyris. Duplex, & cômemoratio Octauæ Natiuitatis.
xxiiij	d	vj	27	Ioannis Apostoli, & Euangelistæ Dup. & commem. octauarum.
xxiij	e		28	SS. Innocentium martyr. Dupl. & cômmoratio octauarum.
xxij	f	iiij	29	Thomæ Cantuariensis, Episcopi, & martyris, Semiduplex. & com. oct.
xxj	g	iij	30	De Dominica infra octauã Natiuitatis vel de oct. cum commem. octauarũ.
xx	A	Prid. Kal.	31	Siluestri Papæ, & Confessoris, Duplex, cum commemo. octauarum.

REGVLA
BEATI AVGVSTINI PATRIS NOSTRI.



DIE DOMINICO.



ANTE omnia, fratres cariſsimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Mat. 22. Mar 12. Luc. 10. Hæc ſunt, quæ, vt obſeruetis, præcipimus in monaſterio cõſtituti. Primùm, propter quod eſtis in vnum congregati, vti vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis cor vnum, & anima vna in Deo: & non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non ęqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuique, ſicut cuiq. opus fuerit: ſic enim legitis in Actibus Apoſtolorũ, quia Act. 4. erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuiq. opus erat. Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi

ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune: qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt: ſed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etiam ſi pauperies eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire: ac non ideo putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana nō quærant, ne incipiant monaſteria eſſe diuitibus vtilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Sed rurſus etiam illi, qui aliquid eſſe videbantur in ſęculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt: magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate, gloriari: nec extollantur, ſi cōmuni vitæ de ſuis facultatibus aliquid contulerint: nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiāt, quia eas ipſi monaſterio partiūtur, quàm ſi eis in ſęculo fruerentur: alia quippe quęcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant. ſuperbia verò etiā bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergēdo dare

paupe-

pauperibus, & pauperem fieri? cum anima misera superbior efficiatur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite: & honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa facti estis. Orationibus instate horis, & temporibus cõstitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, vnde & nomen accepit: vt, si fortè aliqui, præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agere voluerint. Psalmis, & hymnis, cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: & nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur. 2. Cor. 6.

FERIA II.



ARNEM vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit: quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite: nec solæ

vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures percipiant Dei verbum. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, nõ debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit alia cõſuetudo fortiores: nec illos feliciores putent, quia ſumũt, quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et, ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, ſtramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideò felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſæculari vita illi ad iſtam deſcẽderint, quamuis vſque ad aliorum, qui ſunt corpore fortiores, frugalitatem peruenire nequiuerint: nec illi debent conturbari, quòd eos vident amplius (non quia honorantur, ſed quia tolerantur) accipere, ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi, quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè, quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur: ita poſt ęgritudinem ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur, etiam ſi de humillima ſæculi paupertate venerint, tamquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo:

ſed,

ſed, cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad felici orem conſuetudinem ſuam: quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indiget: nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos: illos ſanè exiſtiment ditiores, qui fuerint in ſuſtinẽda parcitate fortiores: melius eſt enim minus egere, quàm plus habere. Non ſit notabilis habitus veſter: nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate: cum veneritis, quo itis, ſimul ſtate. In inceſſu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat adſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

FERIA III.



CVLI veſtri, etſi iaciuntur in aliquam feminam, figãtur in nullam: neque enim, quando proceditis, feminas videre prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt: nec ſolo tacito affectu, ſed adſpectu quoque, appetitur, & appetit concupiſcentia feminarũ: nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius: &, cum ſe in-

uicem ſibi, etiam tacente lingua, conſpectu
mutuo, corda nuntiant impudica, & ſecundũ
concupiſcentiam carnis alterutro delectantur
ardore, etiam intactis ab immunda violatio-
ne corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus:
nec putare debet, qui in feminam figit ocu-
lum, & illius in ſeipſum diligit fixum, non ab
1.Reg.16. alijs videri, cum hoc facit: videtur omnino,
& à quibus videri non arbitratur. Sed, etſi la-
teat, & à nemine hominum videatur: quid
faciet de illo ſuperno inſpectore, quem latere
Iob 42. nihil poteſt? an ideò putandus eſt nõ videre,
quia tantò videt patientius, quãtò ſapientius?
illi ergo timeat vir ſanctus diſplicere, ne velit
feminæ malè placere: illum cogitet omnia
videre, ne velit feminam malè videre: illius
namque, & in hac cauſa, commendandus eſt
Matth. 5. timor, vbi ſcriptum eſt, Abominatio eſt Do-
mino defigens oculum. Quando ergo ſimul
eſtis in Eccleſia, & vbicumque feminæ ſunt,
inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus
enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo
vos cuſtodiet ex vobis. Et, ſi hanc, de qua lo-
quor, oculorum petulantiam in aliquo veſtrũ
aduerteritis, ſtatim admonete, ne male cœpta
progrediantur, ſed de proximo corrigantur.
Si autem, & poſt admonitionem, iterum, vel
alio quocũque die idipſum eum facere vide-

ritis,

ritis, iam velut vulneratum ſanādum prodat, quicumque inuenire; potuit hoc, prius tamen alteri, vel tertio demonſtratum: vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri: nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret ſecari, non ne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potius eum debes manifeſtare, ne perniciosius putreſcat in corde? Sed, antequam alijs demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: ne fortè poſsit ſecretius correctus non innoteſcere ceteris: ſi autem negauerit, tunc neganti adhibēdi ſunt alij, vt etiam coram omnibus poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, tribus ve conuinci: conuictus verò, ſecundum Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cuius diſpenſationē pertinet, arbitrium debet emendatoriam ſuſtinere vindictam: quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur: non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera

plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandisq. peccatis, diligenter, & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

FERIA IV.



VICVMQVE autem in tãtum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo: si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundũ arbitrium Præpositi, vel Presbyteri, grauius emendetur. Vestes vestras in vno loco habete sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur: &, sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario: &, si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur: vtrum hoc recipiat vnusquisque vestrum, quod deposuerat: an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter uos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur ali-

quis deterius aliquid se accepisse, quàm prius habuerat, & indignum se, qui non ita vestiatur, sicut alius frater eius vestiebatur: hinc vos probate, quãtum uobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen, si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueratis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habete, quod ponitis: ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur, siue unde induatur, siue ubi iaceat: sed omnia opera uestra in cõmune fiant maiore studio, & frequẽtiori alacritate, quàm si uobis singulis propria faceretis. Caritas enim, de qua scriptum est, quod non quærit, quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideò, quantò amplius rem communem, quàm propriam, curaueritis, tanto amplius uos profecisse noueritis, ut in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, superemineat, quæ permanet, caritas. Consequens ergo est, ut etiam illud, quod suis, uel filijs, uel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis, aliquis, uel aliqua contulerit, siue uestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in commune redactum, cum necessarium 1. Cor. 13.

fuerit, præbeatur. Quòd si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

FERIA V.



NDVMENTA vestra secundum arbitrium Præpositi lauentur siue à vobis, siue à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundę vestis nimius appetitus. Lauacrũ etiam corporum, cum infirmitatis cogit necessitas, minimè denegetur: fiat sine murmure de consilio medici, ita, vt, etiam si nolit, iubente Præposito, faciat, quod faciendum est pro salute: si autem velit, & fortè non expedit, suę cupiditati non obediatur: aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur, quod delectat. Denique, si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur: sed tamen vtrùm illi sanando dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocũq; ire necesse fuerit, minus, quàm duo, vel tres: nec ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cũ quibus ipse voluerit, sed cũ quibus Præpositus iusserit, ire debebit. Aegro-

tantium cura, siue post ægritudinẽ reficiendorum, siue aliqua imbeciliitate etiam, siue febribus laborantium, alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierint, non accipiant. Vestimenta verò, & calceamenta, quando fuerint indigenti necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrime finiatis, ne ira crescat in odiũ, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam: sic enim legitis, Qui odit fratrem suũ, 1. Ioa. 3.
homicida est. Quicũque conuicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, alterum læserit, meminerit satisfactione quãto ocyus curare quod fecit: & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas vtique, quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. Melior est enim, qui, quamuis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardius irascitur, &

ad veniam petendam difficilius inclinatur. Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum: qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si non inde proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint de ore vestro, nõ pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.

FERIA VI.

QVANDO autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura cõpellit; si etiam ipsi modũ vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis; ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium domino, qui nouit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis: non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Præposito, tamquam patri, obediatur; multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, &, si

quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum, corrigendumq; curetur, ad Præpositum præcipuè pertinet: ita, vt ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat, quod modum, vel vires eius excedit. Ipse verò non se existimet potestate dominante, sed caritate seruiente, felicem: honore coram hominibus prælatus sit vobis, coram Deo substratus sit pedibus vestris. circa omnes seipsum bonorum operũ præbeat exemplũ, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuendus imponat: &, quamuis vtrũque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationẽ: vnde magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius, miseremini, qui inter vos, quanto in loco superiore, tanto in periculo maiori versatur. Donet Dominus, vt obseruetis hæc omnia cum dilectione, tamquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Vt autem in hoc libello, tamquam in speculo, vos possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negli-

1. Thess. 5.

gatis,

gatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur: &, vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori: vbi autem ſibi quicumque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, vt & debitum dimittatur, & in tentationẽ non inducatur.



CON-



CONSTITVTIONES
CANONICORVM REGVLARIVM
Congregationis S. SALVATORIS Ordinis Sancti Augustini.

S.  A.

DE OFFICIO ECCLESIÆ. Cap. I.

1 Officium Ecclesiæ secundum Romanam Curiam.
2 Nullus absit ab Officio sine licen ia.
3 Officium cum intentione dicant.
4 Ad Officium cito eant, vt melius præparari possint.
5 De eo, qui in principio Officij non fuerit.
6 Inclinationis forma.
7 Non exeat e choro ante Officij terminationem.
8 Discedentes ab Officio quid agere debeant.
9 Cærimoniæ vniformiter obseruentur, prout in Missali, & Breu.
10 De SS. Festiuitatibus celebrandis, & Officio eorũ dicendo, secundum Calendarium Romanum.
11 Sanctorum, sub quorum nomine Ecclesię consecratę sunt, celebretur Officium.
12 Octauæ Transfigurationis Officium.
13 Octaua S. Augustini Patris nostri fiat vbique sollemnis.
14 Officium per totam octauam eiusdem, & in eius Conuersione, atque vtraque Translatione, dicatur.
15 Festa sollemnia Ciuitatum, à Canonicis commorantibus tantum celebrentur.
16 Nullus celebret festa, præter consueta.
17 Horę Officij diuini, secundum dispositionem locorum, à Prælato ordinatæ, seruentur.
18 Missa in choro quibus in locis quotidie cantari debeat.
19 Extra Ecclesias ire prohibitum, & quò accedere concedatur.
20 Officium diuinum Conuersorum, & Commissorum.
21 Funera, ad quę accedere licet.
22 Cura animarum per quos.

EXPO-



XPOSITVRIS nobis, Fratres carissimi, viris, qui spirituales ex sua professione, & nominis appellatione cẽsentur, modum, & formam in sacra religione viuendi, nõ aliunde congruentius sermonis nostri exordium, harumque Constitutionum principium sumere visum est, quàm à Dei laudibus, Canonicaq. diuini officij forma. Nullum enim tam gratum Deo seruitium prçstari potest, quàm sacrificium laudis, dicente Psalmista, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam Psal. 49.
1 illi salutare Dei. † Totum igitur officium, diurnum pariter, & nocturnum, secundum morem, & consuetudinem Romanæ Curiæ, in Ecclesia cantando, vel legendo pro tempore deuotè, & maturè dicatur à Canonicis nostris simul congregatis, qui commodè in- Pius V. cõstit. Quod à nobis. Cõci. Trid. sess. 24. ca. 12.
2 teresse poterũt, † nullo, sine expressa licentia à suo Superiore speciali, siue generali obtenta, remanente: obseruandoq. (quantum cooperante Dei gratia fieri poterit) secundum
3 doctrinam Beati Augustini Patris nostri, vt,

† quod profertur in voce, in corde versetur. 3
Quapropter omnes Canonici nostri matura
cum festinatione post primum signũ, quod
fit diebus ferialibus, & festis nõ duplicibus;
in duplicibus verò post secundum, † venire 4
ad Officium in Ecclesiam non differant, vt
interim ad diuinas laudes se valeant deuo-
tius præparare. Ideo, † quicumque in choro 5
non fuerit, antequam in principio omnium
horarum canonicarum dictum sit Alleluia,
vel pro tempore, Laus tibi Domine rex æter-
næ gloriæ, vel quando ijs in principio Offi-
cij non vtitur Ecclesia, ante inchoationem
primi Psalmi, stet inclinatus ante altare ma-
nibus super genibus positis, vsque ad signũ
Maioris in choro residentis: quæ † inclina- 6
tionis forma semper, & ubique, præterquam
in itinere, quando officium in communi di-
citur, uniformiter ab omnibus obseruetur in
ijs, in quibus uidelicet secundum Ordina-
rium nostrum è regione se conuertere Ca-
nonici nostri debent: † qui etiam caueant, 7
ne ex leui causa ab Officio recedant: † si ta- 8
men, causa vrgente, aliquem è choro exire
oportuerit, ad altare maius accedat, exhibi-
taq. reuerentia, vertens se è regione incli-
natus, signum Prælati, seu Præsidentis reue-
renter expectet. † Prostrationes, similiter ge- 9

nufle-

nuflexiones, & inclinationes integrè obseruentur in choro, tam in Missa, quam in officio, prout in Missali, & Breuiario reformato continetur, sic vniformiter ab omnibus, vt, sicut corde, & habitu debent esse similes, ita & in ijs prorsus appareant esse confor-
10 mes. † In festiuitatibus autem celebrandis, quãtum ad numerum, & ad sollemnitatem, ac etiam officium ipsorum festorum, seruetur modus, & ordo, qui est in Calendario
11 Romano præscriptus. † Declaramus tamen, ac volumus, vt vbique locorum per vniuersam Congregationem nostram fiat officium omnium eorum sanctorum, sub quorum nomine consecratas Monasteriorum nostrorũ Ecclesias aut iam habemus, aut in posterum habebimus, eo ipso die, quo festa eorum inciderint, verbi gratia S. Danielis, S. Fuscæ, SS. Secundi, Secundini, & Agapiti, S. Paterniani, S. Rufini, S. Agnelli, & aliorum huius-
12 modi. † Vbique etiã à nostris Canonicis celebretur Octaua Transfigurationis Domini, sicut Octaua Ascensionis eiusdem. Festiuitates vero Congregationis nostræ propriæ celebrẽtur modo præscripto nobis à fel. rec. Gregorio XIII. vt scilicet, quæ sunt in Calendario, seruentur vt in Breuiario Romano; quæ sunt propriæ Congregationis, ser-

uentur in Congregatione vt antea, secundũ formam Breuiarij; quæ non sunt, licet antea fuerint in Breuiario, nihil de illis fiat, nisi sint in aliquo particulari loco corpora, vel reliquiæ, vel Capella, vel Altare.† Porrò 13
Octaua S. Augustini Patris nostri fiat vbique sollemnis. † Ceterũ quotidie per totã Octa- 14
uam, necnon in Conuersione, & in vtraque Translatione eiusdem Officium in Ecclesijs nostris vbique è communi confessoris Pontificis celebretur, exceptis Lectionibus, Antiphonis ad Magnificat, & ad Benedictus, Capitulis, Hymnis, & Orationibus; quæ omnia è Proprio diei festi dicenda sunt. † Festa 15
insuper, quæ in quibusdam ciuitatibus, & locis sollemnia habentur, ab illis solummodo Canonicis nostris celebrari debent; qui in huiusmodi ciuitatibus, & locis præsentes cõmorãtur. † Nullus igitur Canonicorum no- 16
strorum, cuiuscumque gradus, vel condicionis existat, præter huiusmodi annotata, de aliquo alio festo officiũ facere, seu celebrare præsumat.† De Horis verò, quod ad tem- 17
pus attinet, idest quando Matutinum, & ceteræ horæ dicendæ sunt, teneatur ille modus, & ordo, qui secundum dispositionẽ locorum, & Canonicorum ibidem degentium vtilitatem à quolibet Prælato in suo Conuẽ-

18 tu fuerit ordinatus: hoc addito, † vt in ijs Monasterijs, vbi assignati fuerint ad habitandum plusquam duodecim Canonici, seu Clerici, ibi singulis diebus Missa in choro cantetur, legitimo tamen cessante impedimento. Ac, quantum fieri potest, Missæ diei officio congruant, nec alijs quam debitis Cōc. Trid. sess. 22. de obseruand.
19 horis celebrentur. † Nulli autē Canonicorū nostrorū extra loca, & Ecclesias nostras, ad funera, aut festiuitates, seu officia aliorū celebranda, vllo modo vadant. Concedimus tamen, ad cōmunem caritatem conseruandam, vt accedere possint ad sollemnitates, & funera illorum religiosorum, qui ad sollemnitatum nostrarum officia, & funera aliquando & ipsi veniunt: quin etiam ad sollemnitates Societatum quorundam deuotorum sæcularium inuitati accedere, & cum ijsdem refectionem sumere, iuxta discretionem Prælati, cum consilio Discretorum, pos-
20 sint. † Conuersorum præterea, & Commissorum officium hoc erit, videlicet pro Matutinis triginta Pater noster cum totidem Aue Maria, pro Vesperis quindecim, pro qualibet aliarum quinque horarum canonicarū septem, pro benedictione mensæ vnum, post
21 comestionem pro gratijs tria dicere. † Concedimus insuper Canonicis nostris, vt ire

possint ad funera parochianorũ nostrorum dumtaxat, maximè in illis locis, in quibus talis consuetudo iam inoleuit: & hoc cum in sepulturis, aut cœmeterijs nostris sepeliuntur: quando verò ad aliorum Ecclesias, aut cœmeteria efferuntur, tunc ad illa eundi omnem prorsus ipsis adimimus facultatem.
† Prouideant autem omnes Prælati monasteriorum nostrorum, quibus cura imminet animarum, per presbyteros, & capellanos sæculares huiusmodi curam exercendã, quantum ipsorum monasteriorum facultas subministrat, ne Canonici talibus curis fatigati sacras obseruantias relaxare cogantur. 22

DE CONFESSIONE FRATRVM, & sacrà Communione. Cap. II.

1 Confiteri quibus debeant nostri, & quando.
2 Confessiones nostrorũ nõ sine licentia Prælati audiantur.
3 Confessorum auctoritas.
4 Confessores sęcularium, a quo, & qui instituendi.
5 Prælati instituant magis idoneos ad cõfessiones audiẽdas.
6 Loca pro confessoribus sæcularium in Monasterio deputentur.
7 Monialium, vel Congregationum mulierum neque cura suscipienda, neque consuetudo habenda, neque confessiones audiendæ.
8 Monialium ad loca quo modo accedendum.
9 Pœna illico priuationis vocis actiuę & passiuæ suscipientibus curam Monialium, aut eorũ cõfessiones audientibus.
10 Missa quotidie vel celebranda, vel audienda.

Commu-

11 Communio sacra generalis quibus diebus.
12 Die præcedenti sacram communionem Prælati omnes admoneant ad confessionem; & fratres ieiunent.
13 Communio sacra generalis quando anticipandâ.


IXI, (ait Psalmista) Confite- Psal. 31.
bor aduersum me iniustitiam
meam Domino, & tu remisisti
1 impietatẽ peccati mei.† Pro-
pterea omnes fratres nostri, tam Canonici,
siue Clerici, quàm Laici, studeant semel sal-
tem in qualibet hebdomada sacramentali-
ter suis Prælatis confiteri: sacerdotes verò
sæpius, prout celebrationes Missarum, ad
2 quas frequẽter accedunt, requirunt.† Nul-
lus autem Canonicorum nostrorum, tam in
monasterio, quàm extra, absque suorum li-
centia Prælatorum, Canonicorum, ac fra-
trum suorum confessiones audire, aut è con
trario alteri cuilibet ipse confiteri vllo mo-
3 do præsumat.† Si cui tamen huiusmodi con-
fessiones aliqua ex causa audire a suo Præ-
lato conceditur, tanta in ipsis cõfessionibus
auctoritate vtatur, quantam ei Prælatus con-
4 cesserit.† Quoniam verò sæcularium con-
fessiones sæpenumero audire compellimur,
iccircò omnes Prælati annuatim, cum consi-
lio discretorum Canonicorũ, tempore con-
gruo, in suo quisque Conuentu, eligant, atq;

ordinent, qui huiusmodi confessiones audire debeant, si ab Ordinarijs locorum approbati fuerint: ac, præter deputatos huiusmodi, nullus omnino confessiones audire

Cōc. Trid. sess. 23. cap. 15.

præsumat. † Hortamur ergo Prælatos omnes 5
in Domino, vt eos instituant, & præponant, quos peritiores, ac magis idoneos esse cognouerint. † Studeant insuper ijdem Præla- 6
ti, loca honesta, & condecentia, atque à Canonicorum conuersatione (quantum possibilitas subministrat) remota, ipsis confessoribus deputare, vt & honestati, ac saluti, & Canonicorũ quieti, possit esse consultum. † Cu- 7
ram autem Monialium, vel Cōgregationes quarumcumque mulierum, à Canonicis nostris suscipi, aut vllam cum ijs omnino consuetudinem haberi, aut etiam earum cōfessiones audiri, nullo modo volumus, ijs exceptis, quæ iampridem in Ordinem receptæ sunt: neque aliquarum aliarum, cuiuscũque status, vel condicionis existant, parochianis dumtaxat exceptis, quas tamen nemini audire licebit, nisi quem Prior generalis vnà cum Visitatoribus ad hoc ordinauerit: † ad 8
quarum etiam Monialium loca, siue habitationes, nullus fratrum nostrorum, sine suorũ licentia Prælatorum, & sine magna necessitate, quam suo quisque Prælato, quoties ire

opor-

oportuerit, declarare teneatur, accedat. Prælati verò, siue Præsidentes, sine scientia Vicarij, aut antiquioris Canonici Conuentus, accedere non præsumant. Ingredi autem sæpta monasterij earundem nemini liceat, sub pœna excõmunicationis ipso facto incurrenda: sed nec ipsi superiores, nisi in casibus ne-
9 cessarijs, & à paucis ijs senioribus, & religiosis personis comitati, ingredi non audeant. † Siquis autem Canonicorum nostrorum de cetero quarumcumque Monialium curam accipere, aut earum confessiones etiam per quantulumcumque tempus audire præsumpserit, illicò voce actiua, & passiua priuatus intelli-
10 gatur. † Prouideant insuper locorum nostrorum Prælati, seu Præsidentes, vt quotidie omnes Missam vel celebrẽt, vel audiant: caueãtq. diligenter, nequis, absque magna necessitate, aut legitimo impedimento, sine Missæ audi-
11 tione diem pertranseat. † Ad nostrorum autẽ fratrum conseruandam, atque augendam deuotionem, ordinamus, vt infrascriptis diebus in omnibus Conuentibus nostris generalis cõmunio fiat, idest prima Dominica Aduentus, in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Purificatione, in prima, & in tertia, seu quarta Dominica Quadragesimæ, in festo Annunriationis virginis Mariæ, in Cena Domini, in

Cõc. Trid. sess. 23. cap. 15.

Pascha resurrectionis, in Dominica tertia post Pascha, in Ascensione Domini, in festo Pentecostes, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Iacobi Apostoli, Assumptionis beatæ Virginis, S. Augustini Patris nostri, Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, S. Michaelis Archangeli, S. Lucæ Euangelistæ, & Omniũ Sanctorũ. † Die autem proximè præcedenti 12
dictas communiones, Prælati, seu Præsidentes in Capitulo, omnes admoneant, vt ad puram, integramq. confessionem, ac sanctissimi Sacramenti susceptionem, vnusquisque humiliter, & deuotè, se debeat præparare: in quibus etiam communionibus die (vt dictum est) præcedenti fratres semel tantum reficiantur, cibis pro tempore ipsis concessis vtentes. † Sin autem acciderit aliquam præ- 13
dictarum sollemnitatum feria secunda celebrari, tunc Dominica proximè præcedenti (nisi feria illa secunda dies Natiuitatis Domini fuerit) huiusmodi communio fiat.

DE SVFFRAGIIS MORTVORVM Cap. III.

1 Suffragium vniuerſale pro fratribus, & benefactoribus, tum à Sacerdotibus, & Clericis, tum à Conuerſis, & Commiſsis.
2 Suffragium pro defuncto fratre ſui Conuentus.
3 Suffragium pro Priore generali vniuerſale.
4 Suffragium pro defuncto fratre aliorum Conuentuum.
5 Eleemoſyna pro defuncto fratre ſui Conuentus.
6 Anniuerſarium patrum, & matrum, quando faciendum.
7 Anniuerſarium fratrum, & benefactorum, quando faciendum.
8 In vtroque anniuerſario, quæ Conuerſi, & Commiſsi facere debeant.
9 Tabula benefactorum defunctorum in Sacrario.
10 Eleemoſyna quotidiana, ab Oſtiarijs danda.

1 SANCTA, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Ideo dignum duximus ordinare, vt à feſto Omnium Sanctorũ vſque ad feſtum Natiuitatis Domini, pro fratribus, & benefactoribus Ordinis noſtri quilibet Sacerdos tres Miſſas, Canonici, ſeu clerici non ſacerdotes vnum Pſalterium, Conuerſi verò, & Commiſſi, tercentum Pater noſter cum totidem Aue Maria dicant. † Idem faciat
2 quilibet pro defuncto fratre ſui Conuentus.
3 † Idem etiam fiat per totũ Ordinẽ pro Priore generali Ordinis, ſi in ipſo generali Prioratu

2. Machab. 12.

cum

eum mori contigerit. † Volumus autem, vt 4
omnes Canonici nostri sacerdotes vnam saltem Missam celebrare debeant pro fratribus nostris defunctis aliorum Conuentuum: Canonici non sacerdotes totum officium mortuorum semel persoluere; Conuersi verò, & Commissi, quinquaginta Pater noster, & totidem Aue Maria dicere teneantur. Ordinamus insuper, pro anima cuiuscumque defuncti fratris nostri, vt in eo Conuentu, vbi mori eum contigerit, incipiendo ab ipso die obitus sui, vel à sequenti, vsque ad trigesimum, quotidie celebretur vna Missa: † vtq. erogetur 5
pauperibus ciborum portio, solita illi quondam viuenti in refectorio præparari, vel equiualens, vna erogatione, vel pluribus, prout Prælato magis expediens esse videbitur. † An- 6
niuersarium patrum, & matrum fratrum nostrorum, in crastino Conuersionis S. Pauli fiat vbique locorum nostrorum: † Anniuersariū 7
autem fratrum, propinquorum, & benefactorum Ordinis nostri in crastino Octauæ S. Augustini: & dicatur totum Officium mortuorum die proximè præcedenti. † Conuersi ve- 8
rò, & Commissi, in vtroque prædictorum anniuersariorum quinquaginta Pater noster cū totidem Aue Maria dicant. † Vt autem bene- 9
factorum Ordinis nostri iugis habeatur me-

moria, ordinamus, vt in quolibet Sacrario
monasteriorum nostrorum tabula vna, instar
Calendarij, deputetur, in qua omnes benefa-
ctores, vt sunt summi Pontifices, Cardinales,
Episcopi, cæteriq. Prælati, necnon Principes,
& Nobiles, alijque, cuiuscumque cõdicionis
existant, qui Congregationi nostræ in gene-
re, aut alicui Conuentui in specie, aliquid vel
in vita, vel in morte cõtulerint, suis, idest obi-
tus ipsorum diebus annotentur, vt eorũ An-
niuersaria suo tempore celebrentur: in qua
quidem tabula nullus generaliter in omni-
bus locis scribatur, nisi ex mandato Capituli
generalis; nec particulariter in aliquo Con-
uentu, nisi ex consensu duarum partium ex
tribus Capituli conuentualis cum confirma-
10 tione Prioris generalis, & duorum saltem Vi
sitatorum. † Ac, vltra prædicta, omnes Præla-
ti, in suo quisque Conuentu, ordinent suis
ostiarijs certam portionem panis, & vini, vel
huiusmodi edulium: quam quotidiè paupe-
ribus eleemosynã petentibus erogare tenean-
tur: quæ eleemosynarũ, distributio sine ma-
gna necessitate, & sine consensu maioris partis
Canonicorum fratrum, mutari non possit.

DE MODO, ET ORDINE legendi Regulam, & Constitutiones. Cap. IV.

1 Regula quando legenda.
2 Lectio vna ad nutum Prælati quando legenda.
3 Oratio mentalis per dimidium horę.
4 Constitutionũ lectio vna, in sabbato, in prandio, & in cena.
5 Constitutiones non impressę adnotentur, & ex his semel saltem in mense in communi legantur.
6 Post prandium fratres diligenter ad lectiones, & ad cantum, accedant.
7 Studia colantur, & Magistri ordinentur.
8 Bibliothecæ erigantur.
9 Studiorum reformatio.
10 Conuersi, & Commissi, non addiscant litteras.
11 Qui sciũt legere, legere possunt lectionem vulgarem sibi, non alijs.
12 Negligentia Prælatorum, & subditorum, a Priore generali, & Visitatoribus puniatur.



E autem per obliuionem aliquid negligatis, (ait de Regula B. Pater noster Augustinus) 1
semel in Septimana vobis legatur. Quare, vt in ipsa, (quẽadmodum idem Pater dicit) tamquam in speculo, nos ipsos valeamus inspicere, statuimus, vt singulis diebus à festo Resurrectionis vsque ad Exaltationem S. Crucis post Vesperas lectio vna eiusdem Regulæ in communi recitetur, ab Exaltatione verò huiusmodi vsque

ad

ad Resurrectionem idem fiat post Matutinũ. ita per ordinem, vt semel in hebdomada, iuxta eiusdem Patris præceptum, Regula ipsa to
2 ta perlegatur. † Sabbato autem, ijsdem temporibus, & horis, ex Ordinario Ecclesiæ lectio vna legatur, ad nutum Prælati, vel Præsiden-
3 tis terminanda: qua lectione recitata, † Canonici nostri in communi vacent priuatæ, & mentali orationi saltem per spatium dimidiæ horæ: a qua oratione nullus recedat ante si-
4 gnum datum, aut absque licẽtia Prælati. † Ad mensam quoque quolibet Sabbato, in prandio, & cena, loco spiritualium librorum, ex his Constitutionibus lectio vna, vel plures legantur; vt omnes intelligere valeant, quid
5 seruandum, quid ve vitandum sit. † Addimus etiam, statuentes, vt in singulis Conuentibus liber habeatur, in quo annuatim annotentur extraordinariæ constitutiones, quæ videlicet ritè per tria capitula generalia immediatè celebrata receptæ, approbatæ, & cõfirmatę fuerint: atque ex eo in communi semel saltem in mense legatur, vt ne ea, quæ in congregatione salubriter instituta, atque ordinata sunt, per ignorantiam, aut obliuionem, aut etiam
6 negligentiam, prætereantur. † Post prandium verò quotidie in mane, qui legere habent in Ecclesia, vel refectorio, prouisuri suas lectio-

nes ad locum, & magistrum ad hoc prçordinatos sine vlla dilatione vadant: ita, vt, qui docendi sunt, numquam neque ipsi, dum à magistris vocentur, expectent; neque, vt se magistri morentur, committant; caueantq. semper, & vbique, tam docturi, quàm docendi, ab omni verbo, & sermone ad rem non pertinente: quod etiam obseruari volumus ab ijs, qui ad cantum vel discendum, vel docendum deputati sunt. † Et, vt melius vnus- 7
quisque, quod legit, intelligat, intellectaq. opere complere valeat; ne ue (quod absit) ali-
Oseę. 4. cui propheticum illud eueniat, Quia tu repulisti à te scientiam, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi; dignum duximus statuendum, vt per Prælatos diligentia, & cura adhibeatur, quatenus in singulis Cōuentibus magistri deputentur, vel conducantur pro Canonicis litteras nescientibus, qui eos grammaticam, Rhetoricam, Logicam, & Philosophiam, ceterasq. artes liberales præambulas ad sacrã Theologiam, ipsamq. Theologiam, & huiusmodi doceant, ac in iure Canonico ijsdem aliquid exponant, præsertim circa casus confessionũ, & cetera magis vtiliora, absque superfluitatibus, ne (quemadmodum Sal-
Matt. 15. uator noster ait) si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant. † Quæ sanè 8
studia,

studia, vt commodius,ac feliciore in dies successu in Ordine nostro colãtur, volumus etiã, vt omnes Prælati, in omnibus Monasterijs nostris, pro sui quisq. Conuentus facultatibus, bibliothecas erigant, & libris instruant, vt scilicet Canonici nostri commodè operam litteris dare (vt dictum est) possint, & secum libros (quemadmodũ multi faciunt, vbi Con

9 uentus mutant) non deferant. † Prouideant Superiores de Lectoribus, & Magistris, vt dictum est, in monasterijs præsertim Sancti Saluatoris Bonon. S. Michaelis Candian. S. Saluatoris, & S. Antonij Venetiarum, S. Sebastiani de Mantua, Sanctæ Mariæ Gratiarum de Fornouio, S. Ioannis Euãgelistæ Rauen. Sancti Paterniani Fanen. S. Mariæ Angelorum Senen. & Sãcti Secũdi de Eugubio. Lectores, & cõueniens numerus patrũ Studentiũ ascribatur: qui vt illorum studia perficere possint, à Cõuentu, siue Monasterio, vbi assignati fuerunt, nullo pacto per triennium amoueantur, nisi publici scandali occasione, & tunc in aliũ ex prædictis Conuentibus, seu Monasterijs transmittantur. In Monasterijs curam animarum habentibus, vbi plusquam sex Canonici morantur, habeatur continuo lectio casuum conscientiæ: &, qui negligentes fuerint, per Priorem Generalem grauiter puniantur. Qui

verò iudicio Prioris Generalis & Visitatorum idonei inuenti fuerint tam pro audiendis, quàm pro legendis lectionibus, nec ipsi recusare possint, nec vllo pacto permittatur, quin litteris incumbant, sub pœnis arbitrio Generalis & Visitatorum imponendis: Iuniores verò teneantur semel in mense ostendere Superiori suo, duobus astantibus discretis senibus, quid in litteris in dies profecerint. Magistri, ac superiores circa id negligentes pœna grauis culpæ puniantur. Prior Generalis nemini licentiã legendi nec prædicandi cõcedat, nisi qui Logicam per triennium, Philosophiam per bienniũ, ac Theologiam eodem tempore & postea per annum saltem audierit. Qui autem in aliquo ex prædictis Monasterijs logicam, Philosophiam, vel Theologiam per nouennium legerit, ac ternas in capitulis Generalibus conclusiones publice disputandas proposuerit, & rectè responderit, à capitulo Generali Lector declaretur, ac in dicta Congregatione pro Lectore semper habeatur. Nec in tabula officiorum, quæ sabbato legitur, amplius notetur, sed omnibus prærogatiuis, & honoribus gaudeat ac potiatur, quibus iuxta formam constitutionum in cap. 32. seniores titulares gaudere ac potiri solent.

Con-

10 † Conuersi autem, & Commisi, qui legere nesciunt, nullo modo discere permittantur:
11 † qui autem legere sciunt, possint ipsi per se lectionem spirituale in vulgari sibi legere:
12 sed non alijs, sine licetia. † Quod si Prçlati in his negligentes inuenti fuerint, aut subditi id facere neglexerint, per generalem Priorem, & Visitatores corrigantur.

DE REFECTIONE IEIVNIIS, & abstinentia. Cap. V.

1 Fratres quando bis in die reficiantur.
2 Fratres quo modo reficiendi à festo Exaltationis S. Crucis vsque ad Aduentum.
3 Feriç sextæ ieiunium.
4 Festis ab Ecclesia preceptis, locorum festis, sanctæ communionis generalis diebus, reficiantur fratres.
5 Et vltima hebdomada tam ante Adentum, quàm ante Quinquagesimam.
6 Dispensatio esus carnium quibus diebus, & in cena die communis dispensaitonis.
7 Alijs temporibus abstineant fratres à carnibus, exceptis infirmis, & notabiliter debilibus.
8 Iter agentes excipiantur.
9 Tenentur ad ieiunia Aduentus, non autem ad alia ab Ecclesia non præcepta.
10 Pulmentaria pinguia diebus, quibus sæculares carnibus vescuntur, permittantur.
11 Comestionis, siue collationis hora, & modus, & quibus temporibus.
12 Post collationem pulsetur ad silentium ordine inuiolabili, vt surgere ad matutinum possint fratres.

Recrea-

13 Recreatio communis quando.
14 Ieiuniorum tempora, & dies, ad quæ tenemur.
15 In die Parasceues quo modo ieiunandum.
16 Ieiunia sex vniuersaliter ab omnibus pro indulgentia plenaria, & quid agere debeant legere nescientes.
17 Senes & debiles excipiuntur a ieiunio.
18 Abstinentia à lacticinijs.
19 In Ieiuniis quid comedendum.

Gal. 5.



ARO enim (vt ait diuinus Paulus) concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Sed, ne concupiscentia carnis aduersus spiritum præualere possit, sancti Patres ieiunia instituerunt, quibus spirituales viri eãdem concupiscentiam carnis edomare valerent: quando enim caro domatur, & spiritus roboratur, & vitia carnis extinguũtur. † Propterea à festo quidem Resurrectionis Domini vsque ad festũ Exaltationis S. Crucis quotidie bis fratres reficiantur, exceptis omnibus sextis ferijs, in quibus à Resurrectione quidem vsque ad Pẽtecosten in sero pro refectione fratribus detur panis tantummodo, & acetarium, & aliquantum fructuum, quos tempus præsens subministrat: à Pentecoste autem vsque ad festum ipsum S. Crucis prædictum ieiunẽt fratres, quibus parum panis, nec aliud pro collatione præbeatur. † Porrò 1 2

ab eodem festo S. Crucis vsque ad Aduentũ,
& à festo Natiuitatis Domini, vsque ad feriã
quartã Cinerum, bis etiam quotidie fratres
reficiantur, exceptis omnibus secundis, &
quartis, & sextis ferijs, & sabbatis, in quibus
secundis videlicet, & quartis ferijs, quarta
pars panis tantummodo pro collatione ve-
spertina paretur, Sabbato autem, propter
multa domestica exercitia, variosq. fratrum
labores, panis, acetarium, & caseus præbea-
3 tur: † sexta verò feria ieiunetur, ita, vt nihil,
præter potum, ac parum fructuum, pro tem-
4 pore in serò detur. † Bis quoque temporibus
antedictis, omnibus diebus festis ab Ecclesia
præceptis, diebusque, quibus in Conuẽtu ge-
neralis communio fit, necnon præcipuis, ac
sollemnibus locorum festis, etiamsi in sab-
batum, aut in secundam, seu quartam, aut
5 etiam in sextam feriam inciderint; † item vl-
tima hebdomada ante Aduentum, & altera
hebdomada ante Dominicam Quinquage-
6 simæ, bis fratres nostri reficiantur. † Insuper,
& temporum condicione, & infirmitatis hu-
manæ ratione moti, concedimus, vt diebus
Dominicis, Martis, ac Iouis, carnibus quo-
rumuis animalium in prãdio vesci fratribus
nostris liceat, atque etiã in cena ijs diebus,
quibus per Prælatum in communi dispẽsatio

fiet.

fiet. † Alijs verò tēporibus simpliciter à car- 7
nibus huiusmodi, sanguine, & intestinis animalium quoquo modo coctis, fratres nostri abstineant, exceptis infirmis, & notabiliter debilibus, † atque iter agētibus, quibus qui- 8
dem dormire, & quibuslibet cibis, etiam carnibus, vesci, tam domi, quàm foris licebit, prout, & quoties ipsis paratum fuerit, ne hospites molestentur. † Neque verò ijdem ad 9
ieiunia ab Ecclesia non præcepta, præterquā
in Aduentu Domini, teneantur. † Poterunt 10
tamen semper fratres nostri comedere pulmentaria, pinguedine carnium, ac iure condita, ijs videlicet diebus, quibus, secundum ritum Ecclesiæ, & patriæ consuetudinem, sæcularibus hominibus vesci carnibus licet.
† Atque à festo quidem S. Crucis prædictæ 11
vsque ad feriam quartam Cinerum, siue ad refectionem, siue ad collationem, semper prima noctis hora, reliquo autem anni tempore post Completorium pulsetur: &, fratribus more solito in refectorio cōgregatis, si dies cenæ, aut refectionis erit, fiat benedictio mēsæ, iuxta morem Ecclesię, vt in Breuiario cōtinetur: sin autem dies abstinentiæ, residentibus, ad signum Prælati, vel Præsidentis, ad mensam fratribus, lector legere incipiat è Biblijs, vt moris est; &, facto rursum signo

à Præ-

à Prælato, dictoq. à lectore, Benedicite, Prælatus benedictionem pronũtiet, dicens, Largitor omnium bonorum, benedicat collationem seruorum suorum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; ac signũ Crucis ✠ supra mensam producat, & ceteri respõdeãt Amen: post quam benedictionem, bibere, & comedere, quæ apposita fuerint, poterunt, qui volent. Collatione verò peracta, & signo à Prælato etiam facto, omnes silentio à mensa consurgant; deinde ipse Prælatus dicat, Fidelium animę per misericordiam Dei requiescãt in pace, & ceteri respõdeãt Amen: tum; dicto à fratribus semel Pater noster cũ
12 Aue Maria, † statim ad silentium pulsetur. Ordo autem huiusmodi, & forma, ita inuiolabiliter seruetur, vt Canonici nostri semper vna, & eadem hora eant dormitum, vt vna etiam, atque eadem hora congrua, & consueta, ad Matutinum consurgere possint, exceptis diebus, quibus per Prælatum commu-
13 nis in Conuentu dispensatio fiet, † quæ videlicet minimè fieri, nisi semel tantum, vel bis
14 ad summum, in mense posit. † Verùm fratres nostri ieiunare teneantur toto tempore Aduentus Domini, totaq. Quadragesima, ieiunijs quoque Quatuor temporum, & vigilia Pentecostes, ac omnibus alijs vigilijs,

quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, necnon vigilia
ſollemnitatis Corporis Chriſti, Beati
Auguſtini Patris noſtri, Natiuitatis Beatæ
Virginis, & Dedicationis Eccleſiæ D. Saluatoris,
quæ eſt de menſe Nouembri, & omnibus
ſextis ferijs, exceptis ſollemnitatibus ſupradictis:
† itē feria ſexta in Paraſceue; quo 15
die fratres omnes, ſecundum conſuetudinē,
pane, & aqua ieiunare teneantur: licet Prælatus
cum aliquibus manifeſtè debilibus aliqua
ex parte diſpenſare poſsit: quod tamen
de facili agere non præſumat. † Ac, præter 16
ſupra dicta ieiunia, ſeu alio quoquo modo
obligatoria, pro plenaria indulgentia, in
mortis articulo, omnibus noſtri Ordinis hominibus
conceſſa, ſex alijs diebus à Sede
Apoſtolica iniunctis fratres noſtri ieiunent;
quę ieiunia fieri ab Epiphania vſque ad Dominicā
Sexageſimæ ordinamus: quibus diebus
etſi illi ieiunare non tenentur, qui ſemel
Septem Pſalmos pænitentiales, aut (ſi Commiſsi,
vel Conuerſi, vel aliæ Congregationis
noſtræ perſonæ vtriuſque ſexus erunt, legere
neſcientes) quinquagies Orationem Dominicam,
& totidem Salutationem Angelicam
Beatæ Virginis ſingulis hebdomadibus per
integrum annum; aut aliter quinquagies ipſos
Septē Pſalmos pęnitentiales coniunctim,

vel diuisim dixerint, prout ab eadem Sede nobis concessum est: æquè tamen ab omnibus fratribus nostris in Monasterijs degẽtibus, vt conformes omnes etiam in victu ap-
17 pareant, ieiunari volumus; † exceptis similiter senibus, manifestè debilibus, atque ad-
18 uenis. † In his autem omnibus ieiunijs antè
19 dictis Quadragesimali vtentes cibo, ab ouis, & ab omnibus lacticinijs, simpliciter abstineant (nisi in ipsis sextis feriis aliquando modo præmisso dispensetur) fratres nostri, & ad collationem nihil omnino, præter potum, & aliquantum fructuum, qui pro tempore habentur, secundum patriæ condicionem, & loci facultatem, ac Prælati discretionem, detur; infirmis semper (vt dictum est) vel notabiliter debilibus exceptis: & fiat benedictio, vt superius dictum est, nisi quòd, collatione peracta, facto à Præsidente signo, consurgentibusq. fratribus, nihil dicatur, sed statim ad silentium pulsetur.

DE MODO, ET ORDINE sumendi refectionem. Cap. VI.

1 Locus, & hora, in quo congregari debent fratres, se præparantes ad comestionem.
2 Modus ingrediendi Refectorium, & benedicẽdi mensam, & quid agere debeat is, qui benedictioni non interest.
3 Ad mensam positis quæ pars Bibliæ legenda.
4 Nullus quippiam gustet, nisi facto signo à Prælato.
5 Lectio vulgaris, intra refectionem legenda.
6 In mensa delinquens quid agere debeat.
7 A mensa si quis auocetur, quid agere debeat.
8 Bibatur ambabus manibus, & sedendo, si fieri potest.
9 Superflua eduliorum vbi reponenda.
10 Singulis sua cibi portio detur.
11 Lectio secunda e Biblia, finita lectione vulgari.
12 Die sabbati legitur tabula communis.
13 Coquinæ exercitium Clericis sublatum.
14 Exemptio Canonicorum, qui totos viginti annos in Congregatione exegerint.
15 Exemptio eorum, qui trigesimũ annũ in eadem attigerint.
16 Post refectionem communem, eatur ad chorum, cantando psalmum Miserere, & ibi Gratiæ terminentur.
17 In sero, cum fratres reficiuntur, gratiæ reddantur, vel terminentur in Refectorio, vel vbi refectio facta fuerit.
18 Post prandium, actis gratijs, omnes intrent Capitulum processionaliter, vt Prelatus examinet lectionẽ spiritualẽ.
19 Lectiones mensæ examinentur in Capitulo.
20 Extra loca nostra non comedendum: & pœna.
21 Prælatus in hoc non dispenset, nisi magna necessitate vrgente.

Ad Cor. 14



CVM Apostolus præcipiat, vt omnia honeste, & secundum ordinẽ fiant, non solum nos cibo, & potu, temperatè vti, sed etiam constitutas horas obseruare debemus, ne cuiquam

de nostra vita præbeamus offendiculum .
1 † Igitur singulis diebus, parata refectione,
hora competenti, pulsetur ad prandium, vel
ad cenam, vel ad collationem; & tunc ad
destinatum locum omnes venire non differant, qui aliter ex Maioris licentia occupati non fuerint; &, postquã manus abluerint,
& cum silentio resederint, seruitor mensæ, ad
signum Prælati, ingrediens refectorium, pul-
2 set campanulam; † & tunc, præcedentibus
iunioribus, ingrediantur Canonici refectoriũ, & ipsis ibi ordinatè, sicut in choro, stantibus, capitibus mediocriter detectis, facto iterum signo a Prælato, fiat benedictio mensæ secundum morem Ecclesiæ, hoc addito, vt, dum Sacerdos dicit, Benedic Domine, & cetera, fratres inclinent se vsque ad Tua dona. Si quis autem ipsi benedictioni non interfuerit, postquam Pater noster semel cum Aue Maria ante mensam inclinatus dixerit, flexis genibus signum Prælati, vel Præsiden-
3 tis, expectet. † Sedentibus deinde fratribus
ad mensam, lector mensæ legere incipiat è Biblijs librũ, qui pro tempore in Officio diuino in choro legitur: & in eo ad signũ Prælati lectio terminetur, videlicet, vt ter super
4 mensam percutiat. † Nullus autem discum-
bentium quidquam cibi, vel potus, contin-

gere præſumat, priuſquam Prælatus bis ſu-
per menſam ſuppercuſſerit. † Ceterum intra 5
refectionem ex libris ſpiritualibus vulgari
lingua, vna, vel duæ lectiones legantur, pro-
ut Prælatus ordinauerit, propter idiotas, &
Latinitatem ignorantes. † Si quemquam ve- 6
rò aliquo modo in menſa delinquere acci-
derit, vtpote in effuſione cibi, vel potus, aut
etiam à Maiore reprehendi, erectus humili-
ter ſignum eiuſdem expectet. † Similiter ne- 7
ceſsitate aliqua, vel occaſione, aliquis à mẽ-
ſa auocatus, ſurgat, & inclinatus ſignũ Præ-
lati reuerenter expectet. † Præterea fratres 8
noſtri ſemper, & vbique ambabus manibus
bibant, & ſedendo, vbi commodè fieri po-
teſt. † Immũditias quidem, & alia ſuperflua, 9
quæ ex edulijs ſunt proijcienda, non humi
proijciantur, ſed in paropſidibus cũ cibis in
menſa appoſitis, cum euacuatæ fuerint, re-
ponantur. † Cum autem obſonium aliquod 10
in patinis datur, ſigillatim, & ſeorſum ſua
cuiq. fratri portio detur, ita, vt numquam vl-
lo modo duo fratres de eadem paropſide,
vel de eodem inciſorio ſimul comedant.
† Tandem, lecta lectione vulgari, ad nutum 11
Prælati, Canonicus is, qui hebdomada præ-
terita Biblia legit, vel alius, cui ipſe Præla-
tus innuerit, dimiſſam Bibliorum lectionem

ſequa-

ſequatur ; & in fine, cum remota omnia fue-
rint, facto ſigno à Prælato, dicat lector ; Tu
autem Domine miſerere nobis, & reſponſo
à Canonicis, Deo gratias, ſeruitor menſæ cã-
panulam pulſet vſque ad ſignum Prælati :
nullus tamen ſurgere incipiat, priuſquam
12 Prælatus ipſe ſurgere cœperit. † Sed ſingulis
hebdomadibus in fine prandij, in ſabbato,
dato ſigno à Prælato, lector Bibliorum, in-
terrupta lectione, Tabulam indicem officio-
rum tam in Eccleſia, quàm in domo Cano-
nicis pro tempore contingentium, legat, ex-
cepto toto Quadrageſimæ tẽpore, in quo vi-
delicet ea Tabula ſemper feria ſexta, nõ ſab-
13 bato, legatur. † Huc tamen addere viſum eſt,
vt nulli Canonici noſtri ĩ huiuſmodi Tabula
ad vtenſilia coquinæ, ideſt patinas, paropſi-
des, ſcutellas, & huiuſmodi abluẽda poſthac
legantur, aut deputentur : quando id quidẽ
per multos annos in Ordine noſtro certa ra-
14 tione obſeruatum eſt. † Qui autem viginti
annos totos in Congregatione noſtra exe-
gerint, in eadem Tabula ad omnia alia offi-
cia, quemadmodum ceteri minoris profeſ-
ſionis, annotentur, præterquã ad menſæ ſer-
uitium, à quo exemptos eos eſſe volumus.
15 † qui verò trigeſimum religionis annum at-
tigerint, ad nulla domus officia, ſed ad Ec-

clesiæ tantum, ideſt ad Miſſam conuentualē, & ad officium hebdomadarij in choro notati legantur. † Poſt communem verò refe- 16
ctionem in mane omni tempore Conuentus vadat in chorum, cantando Pſalmum Miſerere mei Deus, vel alium pro tempore, vbi
gratiæ terminentur. † Cum autem fratres re- 17
ficiuntur in ſero, tūc poſt cenam gratiæ reddantur, & terminentur, ſecundum modum, & ritum Eccleſiæ, in refectorio, vel vbicūq.
facta fuerit refectio. † Porrò, ſingulis diebus, 18
poſt prandium, actis gratijs, Canonici omnes cum ſilentio bini ordine procedentes, iunioribus præeūtibus, intrent Capitulum, vel vadant ad locum alium, ad hoc, ſecundum diſpoſitionem Conuentus, deputatum, vbi, dicto à Prælato, Benedicite, & reſponſo,
Deus, nullo exiſtente impedimento, † exa- 19
minet Prælatus, vel Præſidens, ſpiritualem lectionem in menſa recitatam, quo modo vnuſquiſque eam memoriæ commēdauerit,
aut intellexerit, prout ſibi videbitur. Nulli 20
præterea Ordinis noſtri comedere, aut bibere, extra loca noſtra liceat, præſertim in domibus parentum, aliorumq. ſæcularium, cuiuſcumque condicionis exiſtant, præter iter agentes, qui ex longitudine itineris, vel aliqua debilitate, ad horam prandij, vel circa,

ad monasterium redire nequiuerint, sub pœna grauioris culpæ, quam illicò trãsgredientes incurrãt:
21 † nec posit etiam Prelatus vllo modo dispẽsare, vt Canonici nostri in domibus sæculariũ huiusmodi comedere posint, in ciuitatibus maximè, in quibus monasteria Ordinis nostri reperiuntur, vel propè, nisi magna necesitate vrgente.

DE ITER AGENTIBVS. Cap. VII.

1 Canonici recedentes à Conuentu habeant litteras testimoniales.
2 Ante discessum Canonicorum, quid agendum.
3 In reuersione, vel aduentu Canonicorum, quid agendum.
4 Post reuersionem, Canonici accedant Prelatum pro benedictione, &c.
5 Pedes lauentur hospitibus, & benigne recipiantur.
6 Prælati licentia expectetur pro visitandis reuersis ex itinere, seu hospitibus.
7 Itinerantes, & alij seruent honestatem.
8 Officium dicant ijdem.
9 Balnea quo modo permittantur.
10 Recedentes ostendant, quæ secum deferunt, Prælato.
11 Nec quidquam illic dimittant, vnde recedunt, sine licentia.
12 Prælati, Canonicis tenentur dare indumenta consueta.
13 Mantela dentur etiam Commisis.
14 Pecunia pro indumentis, quo modo.
15 Indumentorum, & pecuniæ annotatio, vbi facienda.
16 Nihil noui ab vno Conuentu ad alium afferatur, nisi exempla bona.
17 Socij asignentur exeuntibus, à Prælatis.

18 Pecunia pro itinerantibus, quanta danda.
19 Prælati conuentuales quantam pecuniam deferre debeant, euntes ad Capitulum generale.
20 Posint maiorem pecuniarum quantitatem deferre, cum scientia Vicarij, & duorum antiquiorum Canonicorum.



ANONICI nostri, iter per 1
obedientiam aggressuri, receptis prius à suo Prælato Breuiario, & pecunia, quanta ipsis in itinere sufficere posit, secundum collectas in Ordine constitutas, quæ etiam in litteris testimonialibus annotetur, Ecclesiam, siue Oratorium intrent ad orationem. † Et ad Maioris iussum 2
congregati Canonici omnes, qui commodè interesse poterunt, genibus flexis ante altare sub hac antiphona, scilicet, In viam pacis, salutis, & prosperitatis Angelus Domini comitetur vobiscum, vt cum salute perueniatis ad patriam, dicatur psalmus, Deus in nomine tuo saluum me fac, totus, cum Gloria Patri: deinde repetatur supradicta antiphona: qua finita, dicatur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, & Pater noster, totum secreto: Postea Prælatus, vel Præsidēs prosequatur, respondentibus alijs Canonicis, hoc modo.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos.
℞. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℞. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
℞. Et de Sion tuere nos.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℞. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo. Oratio. Oremus.
Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum dominum nostrum. ℞. Amen.
Post quam orationem sequatur Antiphona, Salue Regina misericordiæ, quæ tota dicatur: item
℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.
℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio. Oremus.
INterueniat pro nobis quæsumus, Domine Iesu Christe, nunc, & in hora mortis no-

ſtræ apud pijſsimam clemētiam tuam glorioſa virgo Maria, dulciſsima mater tua, cuius ſacratiſsimam animam in hora benedictæ paſsionis tuæ doloris gladius pertranſiuit. Et alia oratio.

Actiones noſtras quæſumus, Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & ꝑ te cœpta finiatur. Et alia.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da nobis ſalutem mentis, & corporis, vt ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuãte vincamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Qua peracta, dicant circumſtantes Benedicite, & Prælatus eos benedicens dicat, Nos cum prole pia benedicat virgo Maria: & dicto ſemel Aue Maria, Prælatus aſpergat eos, & omnes circumſtantes aqua benedicta: qui poſtmodum, accedentes ad Prælatum, ſinguli manum eius oſculentur: tum, de eius licentia, fiant deinceps mutuæ ſalutationes cū omni modeſtia, & grauitate, tam verborum, quàm actuum, omnibus genua flectentibus, & manus ad pectus in modum crucis tenentibus, (capitibus verò mediocriter detectis, & cum omni reuerētia inclinatis) ac mutuis

orationibus se commendantibus. & sic demum cum benedictione Prælati, & cum eius litteris testimonialibus vadant in nomine Pa-
3 tris, & Filij, & Spiritus sancti. † Similis etiam modus ingrediendi Ecclesiam in reuersione, vel aduentu Canonicorum nostrorũ obseruetur, vbi dicatur psalmus, Laudate Dominum omnes gentes, totus, cum Gloria patri, & Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, & vsque in sæculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oratio. Oremus.

Maiestatem tuam, clemens, & omnipotens Deus, fusis precibus expramus, vt, sicut passionem Domini nostri Saluatoris cum pia deuotione fideliter recolimus, ita à cunctis erepti dęmonum aduersitatibus semper tibi placere valeamus. Per eũdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea antiphona, Salue regina misericordiæ, & cetera: tum

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio. Oremus.

Interueniat pro nobis,&c. vt paulo ante. Postea dicatur oratio Sancti, vel Sanctæ illius, cuius nomine,ac titulo, locus ille, siue Ecclesia nuncupatur, & oratio Beati Patris nostri Augustini, idest,

Adesto supplicationibus nostris, omnipotés Deus, &, quibus fiduciam sperãdæ pietatis indulges, intercedente Beato Augustino confessore tuo, atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectũ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Denique Benedicite: & cetera: vt supra: quibus dictis, † ad Prælatum vadant pro be- 4
nedictione; ipsiq. manum osculentur; & litteras cum residuo pecuniæ, si qua eis in via superfuit,tradant: hinc ad hospitia deducan
tur,† eorumq. per deputatos lauentur, & o- 5
sculentur pedes: ac postea, † tempore, quo 6
Prælato videbitur, fiant mutuæ salutationes, ac visitationes cũ ceteris Canonicis, modo,
& ordine supradictis.† Constituti igitur(sicut 7
præfertur) in itinere,ita religiosè,& modestè se habeãt opportunis colloquijs, & moribus honestis in omni sua conuersatione, vt, secundum Beati Patris nostri Augustini regulam, nihil faciant, quod cuiusquam offen-

dat

8 dat aſpectum: † Officium etiam ſuum dicant
ſicut diligenter, ita & deuotè, vt numquam
9 omnino illud omittant.† Caueãt itaque Præ-
lati, ne mandent, ne ve permittant Canoni-
cos noſtros ſolos ire nec ad balnea, nec aliò
quocumque: ſed, ſecundum Regulam eiuſ-
dem Beati Patris noſtri, duo, vel plures (quan
tum poſsibilitas ſubminiſtrat) ſimul vadant.
10 † Cum autem Canonici, & fratres, de loco
ad locum deſtinantur, nil ſecũ deferant abſ-
que licentia Prælati illius Conuentus, vnde
recedunt, præter neceſſaria, & vſui ſuo con-
ceſſa, ſeu deputata: quæ omnia ipſi Prælato
11 oſtendere teneantur, ſi ei placuerit.† Simili-
ter nec eis liceat quidquam illic dimittere,
vnde recedunt, ſine licentia Prælati illius
Conuentus, in quo aſsignati ſunt: ſed omnia
indumenta vſui eorum conceſſa ſecum de-
12 ferre teneantur, vt moris eſt.† Teneantur ta-
men Prælati Monaſteriorum Canonicis, &
fratribus inde amotis, indumenta (ſi quibus
carent) in Ordine conſueta prouidere, ideſt
Cappam, Scapularia, Rochetos, Tunicã, Tu-
nicellã, Tunicinũ, Albetam, induſia, caligas,
13 calceos, pileos.† Et mantela etiam fratribus
Commiſsis, vel ſi quid aliud eiuſmodi eſt ad
vſum Canonicorum, & fratrum noſtrorum
14 conceſſum.† Cum autem pro huiuſmodi in-

dumen-

dumentis pecunia aſsignanda erit, iuxta col-
lectas, atque æſtimationes in Ordine noſtro
factas, & vſitatas, aſsignetur: neque verò ea
pecunia ipſis Canonicis, & fratribus abeun-
tibus, detur, ſed potius Prælatis Monaſterio-
rum, ad quæ illi deſtinantur, vel tranſmitta-
tur, vel congruo, aut etiam ſtatuto per huiuſ-
modi cauſarum iudices tempore, perſolua-
tur. † Indumenta autem huiuſmodi, atque 15
etiam pecunia (ſi cui tamen aliquando iuſta
de cauſa danda erit à Monaſterio diſceden-
ti) in libro ad hoc ordinato ſcribantur, at-
que etiam chirographo manu diſcedẽtium
annotentur. † Præterea fratres noſtri ſic miſ- 16
ſi nihil noui ab vno Conuentu ad aliũ quo-
quo pacto afferant, niſi exempla fratres ſuos
ædificatura. † Cum verò acciderit fratres ali- 17
quos ſępta monaſterij egredi ad quotidiana
negotia, vſusq. neceſſarios, ad Prælatum cũ
ijs ſocijs, quos ille aſsignauerit, ſimul uadãt
pro benedictione: deinde dicto prius in Ec-
cleſia, vel in Oratorio Aue Maria, & ſui cu-
ſtodia Deo tota commiſſa, eant, & cum om-
ni morum religioſa grauitate ubique ſe ha-
beant. † Quando autem fratres ſunt ad eun- 18
dem Conuentum, unde recedunt, reuerſuri,
tantam pecuniam eis dare teneatur, quantã
pro eundo, & redeundo Prælatus neceſſariã

19 fore iudicauerit.† Similiter Prælati conuentuales ad generale Capitulum cum ſuis ſocijs conuenientes, tantum deferant pecuniarum, quantum ſibi, & ipſis ſocijs in acceſſu, & regreſſu ſuppetat. Dicti etiam Prælati, quando ad ipſum Capitulum generale accedunt, ſaltem dimidiam partem omnium collectarũ, ſiue taxarum, tam pro Priore generali, quàm etiam pro quibuſcumque alijs neceſſitatibus Ordinis impoſitarum, ſiue imponendarum, necnon collectam conſuetam pro ſubſidio Monaſterij, vbi Capitulum generale celebra-
20 tur, ſecum portare teneantur.† Si verò maiorem pecuniarum quantitatem eos deferre aliqua legitima occaſione neceſſe fuerit, ſine ſciẽtia Vicarij ſui, & duorum antiquiorum Canonicorum ſui Conuentus id minimè facere poſſint.

DE VESTIBVS.
Cap. IIX.

1 **Camiſæ lineæ prohibentur, & quibus concedantur. vide infra, cap. 10. §. 2.**
2 **Indumenta more ſæcularium prohibentur.**
3 **Veſtimentorum qualitas, & forma.**
4 **Nouitij induantur, vt profeſſi.**
5 **Conuerſi quo modo veſtire debeant.**
6 **Canonici intra Monaſterium quibus veſtimentis vtantur.**
7 **Commiſsi, quibus veſtimentis induantur.**

8 Commissi dicantur fratres, & qua de caussa.
9 Fratres, cum quid accipiunt à Prelato, quid dicere debeãt.
10 Fratres, cum officium aliquod ijs iniungitur, quid dicere debent.
11 Vestimenta omnia Canonicorum videat Prælatus.
12 Vestimenta quo modo lauanda.
13 Vestimenta à priuatis non lauentur.

LINEIS vestibus ad carnem non 1
vtantur fratres nostri, sed tantũ
laneis; † quæ vestes non solum 2
in panni æstimatione, verùm etiam in longitudine, & latitudine, omni careant nota sæcularis pompæ, & vanitatis. Tunicas albi coloris rochetto coopertas, & scapularia alba: † similiter & omnia 3
alia indumenta & capitis, & pedum; cappas verò nigri coloris deferant Canonici nostri. Sufficit autem, vt tunica descendat vsque ad talum pedum, scapulare supra talum ad palmum, rochettus in longitudine medium teneat inter tunicam, & scapulare: Cappa in longitudine tunicæ, vel circa, mensuram habeat: capitia verò tam capparum, quàm scapularium, sint ad formam, & non excedant mensuram in Ordine consuetam. † Nouitij 4
similiter vt professi induantur, excepto quòd scapularia eorum infra genua non descendãt.
† Conuersi item per omnia sicut Canonici, 5
seu clerici, induãtur, nisi quòd super rochetto

corri-

6 corrigia cingantur.† Cappis autem intra ſępta Monaſterij Canonici noſtri non vtantur, ſed deferre poſſint chlamydes, ſeu mantela ſimiliter nigri coloris, ſicut ſunt cappæ, quæ ſint ad formam, & non excedant menſuram eorum, quæ hucuſque portare conſueuimus.

7 † Commiſſi veſtiantur indumentis ſubrufis, vel (vt vulgari vocabulo dicitur) chryſeis, aut biretinis; & tempore eorum nouitiatus portent chlamydes, ſiue mantela aperta à parte anteriore, ſicut Canonici; à profeſſione verò, clauſa illa quidem anterius, ſed ab vtroque latere ita aperta; vt inde manus, & brachia extrahere poſsint: nec teneantur dicti Cõmiſsi ea, niſi pro libito, & voluntate, deferre propter exercitia caritatis, ad quæ eos ſemper accinctos, & expeditos eſſe oportet:

8 † quos etiã, ad communem caritatem conſeruandã, Fratres appellari, ſeu prænominari, volumus. Exempli cauſa, Frater Franciſcus Cõmiſſus, ad ipſorum Canonicorum differentiã.

9 † Cũq. veſtimenta, vel calceamenta, vel aliud ſimile, alicui fratrum datur, ipſe genibus flexis dicat, Benedictus Deus in donis ſuis, & cetera illius verſiculi, vt in menſæ gratijs.

10 † Sed, cum officium aliquod cuiquam iniũgitur, is ſimiliter genibus flexis, & capite detecto, ſine contentione recipiat, dicens, Deo gratias.

11 † Inſuper

vigili cura studeat Prælatus, simul cum suo
Vicario, videre omnia indumenta Canoni-
corum, ac fratrum sui Conuentus, & absque
personarum acceptione iuxta loci facultates
vnicuique necessaria prouidere, ne peculiari-
ter ipsi sibi prouidere cogantur. † Vestimenta 12
ergo prædicta in communi, tempore debito,
iuxta discretionẽ Prælati, lauentur, siue ab ip-
sis fratribus, siue à fullonibus, ne, iuxta Beati
Patris nostri Regulam, interiores animæ sor-
des contrahat mundę vestis nimius appetitus.
† Nec de facili permittant Prælati illos pecu- 13
liariter sibi, & sigillatim prædicta indumenta
lauare, ne, proprijs seruiendo, communia
negligantur.

DE RASVRA.
Cap. IX.

1 Rasura quando.
2 Corona cuius latitudinis.
3 Tonstrinæ locus.
4 Silentium seruetur. si vero sit frangẽdum, quo modo frangi concedatur.



ASVRA fiat temporibus con-
gruis, sicut religiosos decet
pauperes, & humiles. A festo 1
igitur Resurrectionis Domini
vsque ad Exaltationem S. Cru-

cis rasura decimo quoque die; à festo verò
prædicto vsque ad Resurrectionem Domini,
2 quintodecimo quoquo die fiat. † Ac erit quidem corona, quę solis clericis ex institutione Patrum debetur, non latior duobus digitis, à summitate aurium incipiens: cetera verò pars capitis tam supra, quàm infra, radatur.
3 † Prouideant ergo Conuentuũ Prælati, quantum locorum possibilitas subministrat, vt singula monasteria locum ad hoc idoneum habeant, ab alijs locis, vbi quiescunt, & conuersantur fratres, remotum, ne tempore silentij
4 Conuentus inquietetur: † in quo loco silentiũ semper seruetur, necessitatibus dumtaxat exceptis, in quibus etiam submissa voce interrogentur, vel respondeantur, quæ necessaria esse videbuntur.

DE CELLIS, ET LECTIS. Cap. X.

1 Fratres omni tempore dormiant induti aliqua tunica, & cincti.
2 Linteaminum vsus prohibetur, præterquam infirmis, & in hospitijs, & infra, cap. 12. §. 6.
3 Ceruicales, quibus vti licet.
4 Coopertoria, & omnia humilia, etiam in hospitijs.
5 Fratribus quando concessum dormire extra Conuentum.
6 Fratres non possint dormire extra Monasterium, absque magna necesitate.

7 Fratres non mittantur extra Conuentum, sub specie recreationis, ad loca remota: ne &c.



ÆPE legimus, sanctos Angelos visitasse eos, qui, stratus mollitiem, castitati plurimũ aduersantem, fugientes, dormiebant. † Iccirco super stramenta, vel (vt vulgo loquimur) saccones, dormiant fratres nostri, & in singulis lectis in singulis cellis soli dormiant, tunica magna, vel parua semper induti, & cincti. † Linteaminibus verò è lino, cannabo, bombace, & alijs eiusdem generis, nullus in locis nostris penitus vtatur, sed tantum laneis, præter grauiter infirmos, quibus etiam super culcitris plumeis, vel laneis, & huiusmodi, dormire, & lineis indusijs, seu camisijs vti in longitudinem lanearum, ipsa graui infirmitate durante, licebit. † Ceruicalibus tamen, seu puluinaribus quibusuis lineo panno coopertis omnes vti poterunt. † Coopertoria, seu stragula lectorũ vbiq. sint humilia, etiam vbi recipiuntur hospites, quæ magis frigus abigant, & foueant honestatem, quàm strata ornent. † Fratribus autem nostris extra Conuentum constitutis dormire licebit, prout eis fuerit stratum, ne hospites molestentur. † Caueant nihilominus sub pœna grauioris culpæ, ne vnquam extra Con-

Margin numbers: 1 2 3 4 5 6


uentum, & loca noſtra, abſque magna neceſſitate dormire audeant, ſemper feſtinantes ita tempeſtiuè ab omnibus negotijs ſe expedire, vt extra Monaſterium hora ſera non reperian-
7 tur. † Diligenter inſuper prouideant omnes Prælati, ſiue Præſidentes, ne mittant Canonicos noſtros, maximè iuniores, ad loca etiam noſtra, ſeu membra Monaſteriorum noſtrorum, ſub ſpecie recreationis, & humanitatis, ita remota, vt eos extra Conuentum dormire oporteat, niſi in ijſdem locis, & membris, tanta ſit lectorum copia, vt ſoli, & ſigillatim (vt dictum eſt) dormire queant: alioquin ad loca ita propinqua pro huiuſmodi recreationibus mittantur, vt ſemper ad Conuentum eodem die redire poſſint.

DE CVRA, ET REGIMINE infirmorum. Cap. XI.

1 Prelatus non ſit negligens circa infirmorum curam.
2 Infirmorum cura iniungatur diſcreto.
3 Infirmi caueant, ne importunitate ſeruientes inquietent.
4 Infirmi confi eantur, & communicent.
5 Infirmi, qui id neglexerint, vel contempſerint, non viſitentur exceptis vltimis neceſſitatibus.
6 Carnibus infirmi veſci poterunt.
7 Infirmorum cura diligens.
8 Infirmus ex leui infirmitate, quid agere debeat.
9 Contagioſa infirmitate laborates, ſeorſum ab alijs habitet.

10 Debilium, & ſenum regula.
11 Morti proximo, abſolutio plenaria danda.
12 Mortuo Fratre, parentur exequiæ, &c.

Matth. 25.



NFIRMVS fui, (ait Dominus) & viſitaſtis me: & iterum. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.† Pro- 1
pterea caueant Prælati, ne circa infirmos, & regimen eorum ſint negligentes. Infirmi enim (ſicut dicit Pater noſter Auguſtinus) ſic tractandi ſunt, vt citius re-
creentur.† Iccirco infirmorum cura alicui 2
fratri diſcreto iniungenda eſt, qui eos patienter, & cum caritate gubernet, eaq. dilectione, & affectu eis deſeruiat, ac ſi ipſi Do-
mino Ieſu Chriſto deſeruiret.† Infirmi verò 3
ſummopere caueant, ne ſua importunitate, aut impatientia, ipſos ſibi ſeruientes inquietent. Studeant igitur Deo gratias agere in omnibus, quæ ſibi contingunt; &, quæ à ſeruientibus propinãtur, humiliter, & benignè ſuſcipiant, ne infirmitas, quæ ad purgationẽ animæ eis data eſt, in augmentum culpæ ex
impatientia vertatur.† Porrò, cum quis fra- 4
ter infirmatur peſte, vel febri, aut alio quocũque morbo, & infirmitate, propter quam de ipſius corporali ſalute ſit meritò dubitandũ, ad Prælati, ſeu Infirmarij, admonitionẽ,

quàm

quàm citius fieri poterit, sacramẽtaliter confiteri studeat; & Eucharistiam humiliter petens cum omni deuotione accipiat † quod si
5 absque legitimo impedimento facere neglexerit, vel contempserit, à fratribus non visitetur, nec vlla ei exhibeatur humanitas, vltimis necessitatibus dumtaxat exceptis, quousque eum re ipsa, & cum effectu pæniteat.
6 † Poterunt quidem infirmi vesci carnibus, vt eorum grauis exiget infirmitas, quoties, & quandocumque Prælato de consilio medici
7 visum fuerit expedire. † Studium igitur Prælati, seu Infirmarij, erit, in absentia infirmi seorsum cum medico diligẽter, ac sollicitè, pertractare de ijs, quæ ipsi infirmo sunt necessaria, ita, vt ille, quid sibi paretur, penitus ignoret, ne scilicet per corporalem infirmitatem fructus subiectionis, & humilitatis, amittat: sed tamen, secundum Patris nostri Regulam, quantum possibile est, nihil prætermittatur eorum, quæ medicus eiusmodi
8 ægritudini duxerit esse necessaria. † Si quis autem eiusmodi infirmitatem patiatur, quæ nec ipsum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, is super culcitra nõ dormiat, nec ieiunia consueta frangat, nec cibos communes refectorij mutet, nisi Prælatus de consilio
9 medici aliter ordinauerit. † Studeant etiam

Prælati prouidere loca à conuerſatione aliorum ſegregata, in quibus ſeorſum manere iubeant eos, qui aliqua contagioſa infirmitate grauantur, vt ſunt peſtis, & phthiſis, ceteræq. huiuſmodi infirmitates: qui etiam viſitentur ab ijs dumtaxat, quibus Prælatus ordinauerit, & non ab alijs: nihil tamen (vt ante dictum eſt) deeſſe eis permittatur, quod neceſſarium prædictis infirmitatibus fuerit iudicatum; ſeruientibus autẽ huiuſmodi infirmantium prouideat Prælatus, prout ipſi ſecundũ diſcretionem ſuam videbitur cõuenire. † De- 10
debilibus verò, & ſenibus, qui nec infirmi ſunt, nec ſani omnino, Prælatus Prioris generalis, & Viſitatorum conſilium ſequatur, &, vt illi ordinauerint, ita ipſe diſponat abſq. aliquo ſcrupulo, cum in hoc non iudex, ſed miniſter, & executor exiſtat: & in his, ſicut in ceteris, nulla debet eſſe perſonarum acceptio: nec cõtemnenda eſt humillima paupertas in ijs, quæ poſtulat humana neceſsitas. † Cum autem quis ex humana condicio- 11
ne morti appropinquat, fiat ei plenaria abſolutio, Ordini noſtro Apoſtolica auctoritate conceſſa, hoc modo: Primum dicat infirmus Confiteor totum, ſi poteſt; ſi vero nõ poteſt, dicat alius loco illius: poſtea ſacerdos, cui ille fuerit generaliter, vel ſpecialiter con-

feſſus,

fessus, dicat Misereatur totum; & Indulgentiam, & consequenter hanc absolutionem, idest, Auctoritate Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ mihi commissa, & tibi cōcessa, ego te absoluo ab omni sententia excommunicationis maioris, vel minoris, & restituo te vnitati fidelium, & sanctis sacramentis Ecclesiæ: & auctoritate mihi commissa, & tibi concessa, te absoluo ab omnibus peccatis tuis, cōtritis, confessis, & oblitis. Item auctoritate Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & auctoritate Domini nostri summi Pōtificis mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, & quantum debeo, & gratum in oculis Diuinæ Maiestatis fuerit, te absoluo ab omnibus pœnis tibi in Purgatorio debitis propter culpas, & offensas, quas contra Deum commisisti, prout in priuilegio ordini nostro concesso à sanctæ mem. domino Papa Gregorio XII. & Iulio Secundo plenius continetur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Si verò ista vice non morieris, reseruo tibi indulgentiam concessam ab eodem Domino nostro Papa pro vltimo articulo mortis tuæ, vt in eodem priuilegio indulgentiæ plenius continetur, in nomine Patris, & Filij, & Spi-

ritus sancti, Amen. † Mortuo autem fratre, 12
parentur exequiæ, & fiant ei omnia, quæ in
Ordinario, & in Breuiario continentur.

DE HOSPITVM SVSCEPTIONE. Cap. XII.

1 Hospitum recipiendorum cura quibus iniungenda.
2 Hospitibus cibi,& strata,vbi, quo modo, & quãdo danda.
3 Hospites diu in Conuentu morari non permittantur.
4 Prælatus possit prorogare ijs terminum.
5 Nullus accedat ad loca hospitum.
6 Linteamina linea,& quæ alia concedantur in hospitijs.
7 Mulieres nequaquam introducantur.
8 Lectio spiritualis legatur ad mensam hospitum.

Matth. 25. HOSPES eram, (ait Dominus)
& collegistis me. † Officiũ igi- 1
tur recipiendi hospites alicui
fratri maturo, & discreto, in-
iũgatur. † Hospitibus quidem, 2
quantumlibet vocabulo religionis censean
tur, cibi,& strata (quantum fieri potest) extra
refectorium, & dormitorium,& communem
fratrum conuersationem, parentur: † neque 3
liceat, eos, quibus (sicut præfertur) seorsum
paratur, intra sæpta monasterij diutius com-
morari, quàm dies quinque. Sed matura di-
ligentia adhibeatur, vt (habita semper per-
sonarum ratione, secundum diuersam illarũ

condi-

condicionem) quàm citius fieri poterit, ad
4 propria loca remittantur.† Imminente verò
aliqua necessitate dictos hospites diutius re-
tinendi, poterit Prælatus, de consilio Discre-
torum, terminũ hospitibus huiusmodi pro-
5 rogare. † Ad loca autem prædicta, vbi ho-
spites recipiũtur, nullus accedere præsumat
absque suorum licentia Prælatorum, illis ex-
6 ceptis, quibus ea cura commissa est: † in qui-
bus etiam hospitijs (vt ante cap. 10. traditum
est) habeantur culcitræ cum linteaminibus
è lino, & coopertorijs, seu stragulis honestis,
atque alia necessaria, prout pauperes reli-
7 giosos decet. † Mulieres verò, cuiuscumque
ætatis, gradus, aut condicionis existant, nul-
lo modo, quacumque de causa, intra sæpta
Monasterij introducantur, aut ingredi per-
mittantur, sub pœna excommunicationis la- Cõst. Pij V.
tæ sententiæ, & priuatione actiuæ & passiuæ
vocis, & inhabilitatis in perpetuum, nisi à Se-
de Apostolica cum eo fuerit dispensatum.
8 † Curet insuper quilibet Prælatus, seu Præsi-
dens, aut is, cui officium suscipiendi hospi-
tes iniunctum est, vt in ipsis hospitijs aliquis
liber spiritualis, & religiosus, semper habea-
tur, ex quo, quando Canonici nostri cũ ijsdẽ
hospitibus comedunt, ad discũbentium con
solationem lectio vna legatur, ac recitetur.

DE

DE SILENTIO.

Cap. XIII.

1 Silentium, quibus locis seruandum.
2 Cellam alterius nemo ingrediatur, nisi &c.
3 Silentium vbi seruandum, & num. 4. & num. 5. & num. 6. & num. 10.
7 Pulsanti ad cellam alterius non aperiatur.
8 Signum pro silentio.
9 Hospites non recipiantur tempore silentij, nisi in remotiore parte.
11 Signo aliquo petatur, quod opus fuerit, non voce: & quando.
12 Silentij fracti pœna.
13 Canonici non colloquantur inter se, nisi &c.
14 Conuersatio singularis non habeatur.
15 Alter alteri, cum caritate, reuerentia, & honore, in recreatione loquatur.
16 Conclusio colligatur ex collocutionibus.
17 Secreta non reuelentur.
18 Iuuenes nemo alloquatur, nisi &c.
19 Iuuenes inter se non colloquantur, nisi &c.
20 Murmurationes prohibentur.
21 Correctio fraterna, quo modo facienda.
22 Correctio aduersus Prælatum.
23 Accusans tempore visitationis audiatur, dummodo se obliget ad pœnam talionis.
24 Crimen, nomenq. accusatoris, & rei, scriptis mandetur.
25 Reus confitens, aliter; conuictus, aliter puniatur.
26 Accusatoris falsi pœna.
27 Accusatores recusantes &c. reijciantur.
28 Infamatores, detractores, obiectores criminum, qualiter puniendi.
29 Prælati, & subditi, prudenter, & cum caritate inter se agant.

1 CVM labiorum silētium sit religionis decus, & præcipua quietis mentis custodia, fratres nostri silentium teneant specialiter semper in choro,
2 in dormitorio, & in cellis. † Nullus autem frater ingrediatur cellam alterius, illo ibidē existente, ita, vt diligenter obseruetur, vt nullo vmquam tempore duo fratres, vel plures, in eadem cella simul inueniantur, nisi de licentia Prælati, vel Præsidentis, petita, &
3 obtenta. † Item silētium teneatur in locis necessitatis, idest ad latrinas, vbi de nocte lam-
4 pas continuè ardeat. † Similiter in claustro primo, vbi duo sunt claustra: vbi autem vnū solum est, in ea parte claustri, in qua est Ca-
5 pitulum. † In refectorio quoque, omnibus horis, dum comeditur, tam in prima, quàm in secunda mensa, inuiolabiliter, quacūque hora, silentium obseruare discumbentes te-
6 neantur. † Silentium etiā teneant fratres nostri in quolibet loco, à signo, quod fit post cenam, vel collationem, vsque ad dictā pri-
7 mam diei sequentis: † quo etiam tempore nulli, quacūque de causa, aperiatur, ad cellam alterius pulsanti, nisi de licentia Prælati, vel Præsidentis, vel ob magnum periculum
8 euitandum. † Item in æstate, à signo, quod fit

post prandium, vsque ad dictam Nonam; &, quando Nona non dicitur, vsquequo fratres à dormitione surrexerint: † quo eodem tem 9
pore hospites, siue aduenæ, recipiantur in parte remotiore à cellis; & in loco, vbi fratres quiescunt, detineantur. † Silentium etiã 10
semper teneant omnes vbique per totũ Conuentum, dum fratres communiter in refectorio comedunt, excepto Prælato, vel Pręsidente, cui loqui licebit, si viderit esse opportunum. † Si quid autem opus fuerit, sonitus cu- 11
iuscumque signo petatur; vel alio quocũque nutu potius, quàm voce, significetur. † Quã- 12
obrem, qui silentium, comedẽdo in refectorio, absque necessitate, etiam submissa voce, fregerit, is in vno prandio comedat ad terram; qui autem alias intra diem naturalem horis, & locis prohibitis, silentium fregerit, similiter in vno prãdio comedat ad terram.
† Vt autem silentij fructus perfectius habea- 13
tur, & conscientiæ puritas conseruetur, ac multæ diabolicæ fraudes euitẽtur, nulli Canonicorum nostrorum, extra horas, & tempora constituta, secretè, & seorsum, absque Prælati, vel Præsidentis licentia, inter se colloquantur. † Nec etiam sub specie fraterna 14
caritatis habeatur aliqua frequens conuersatio singularis: † sed, cũ ad placitũ Prælati, 15

ſeu Præſidentis, poſt prandium, vel alijs tem
poribus, ibitur ſpatiatũ, intus, vel foris, om-
nes ſimul, nullo, abſque magna neceſsitate,
& conſenſu Prælati, remanente, cum carita-
te vadant, de ſpiritualibus, & honeſtis, hu-
manè, & fraternè ſine contentione inuicem
16 colloquendo: † ac ſemper in fine ex omni-
bus collocutionibus ad omnium vtilitatem,
& conſolationem ſpiritualem, generalis con
cluſio ſummatim colligatur, ac memoriæ cõ
mendetur, ab eo reportanda, quem in eo lo-
17 co Prælatus ad hoc ordinauerit. † Nec vllus
vmquam reuelet ſecreta, & tentationes, ne-
que ſuas, nec alienas, tam ſpirituales, quàm
corporales, alicui, niſi Prælato, aut cui Præ-
latus licentiam illi permiſerit reuelandi.
18 † Vt autem iuuenes in timore, & reuerentia
perſeuerãtes ad religionis perfectionem at-
tingere poſsint, mandamus, & inuiolabili
obſeruantia cuſtodiri volumus, vt nullus fra
trum noſtrorũ colloqui cum iuuenibus, qui
non ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, au-
deat, ſine licentia Superioris, vltimis neceſ-
19 ſitatibus dumtaxat exceptis: † quod etiam de
iuuenibus, & inter ſe, & erga antiquiores, in-
telligi volumus: contra quod facientes pœ-
20 næ grauis culpæ ſubijciantur. † Nullus præ-
terea fratrum Ordinis noſtri, etiam ſub ſpe-

cie boni, aliquo modo audeat, ac præſumat detrahere, aut murmurare, vel detrahentibus, aut murmurãtibus de Prælatis, ſiue Pręſidentibus, & alijs fratribus noſtræ Congregationis, aut de aliquo alio, cuiuſcumque gradus, ſtatus, & condicionis exſiſtat, aliquatenus auditum præbere.† Si cui tamen neceſ- 21
ſe videretur ad honorem Dei aliquid dicere, cum caritate, & diſcretione, Prælato ſuo, vel Præſidenti dicat.† Si quis inſuper aduer- 22
ſus Prælatum non malitioſè, ſed cum veritate, aliquid habuerit, quod tolerari non deceat, prius illum inter ſe, & ipſum ſolum, cũ omni humilitate, & caritate, de ſui correctione admoneat. quòd ſi ille frequenter admonitus corrigere ſe contempſerit, aut neglexerit, Priori generali, aut Viſitatoribus, ſtudeat intimare, vt honeſtati Ordinis prouideatur: aliter verò, nec Prælatos ſuos, nec alium quemcumque nullus audeat infamare.† Quare, ſiquis Prælatum ſuum, aut alium 23
aliquem Canonicorum, ac fratrum ſuorum, apud Priorem generalem, & Viſitatores, tempore viſitationis accuſare de aliquo crimine voluerit, huic prius Patres proteſtẽtur, ipſum talionis pœna, ideſt illi crimini debita, niſi id legitimè probauerit, teneri:† ſimul 24
etiam crimen, & vtriuſque nomina, tam ac-

cuſa-

25 cusatoris, quàm rei, scriptis mandentur. † Tũ verò citatus reus, si quidem peccatum suum humiliter agnouerit, & confessus fuerit, cum caritate, iuxta culparum qualitatem, puniatur; sin autem negauerit, & conuictus fuerit,
26 pœna grauiore afficiatur. † Contra verò, si reum legitimè redarguere accusator non poterit, ipse pœna illi crimini constituta (vt di-
27 ctum est) puniatur. † Quòd si idem iudicio contendere, aut etiam nominari recusauerit, nequaquam auscultetur; sed potius, velut delator iniquus, ac fraudulentus, reijciatur.
28 † Si quis autem etiam apud Prælatum suum alium quemcumque fratrum infamare præsumpserit de crimine, etiam de auditu, quod legitimè probare non posit, similiter pœna eiusmodi crimini debita ipse puniatur; nec posit etiam Prælatus cum eo dispensa-
29 re, quin tali pœna plectatur. † Studeant igitur, tam Prælati, quàm subditi, ita prudenter, & cum caritate, de fratribus suis loqui, ac etiam scribere, vt, extra formam debitam caritatis, nullus de aliorum defectibus obloquatur, vel scribat.

DE LITTERIS, ET MANDATIS non accipiendis. Cap. XIV.

1 Secreta contra aliquem nulli suscipere liceat.
2 Fratres non loquantur cum aliquo, nisi &c.
3 Nouitij silentium obseruent.
4 Fratres non mittant litteras aliquo, nisi &c.
5 Ostiarij litteras dare Prælato teneantur.
6 Litterarũ, siue mãdatorũ mittendorũ, & recipiẽdorũ ordo.
7 Litteræ Prioris generalis, Visitatorum, & Prælatorum, à nemine aperiantur, legantur, nec retineantur.
8 Litteræ aliorum non aperiantur, &c.
9 Fratri nulli credatur, dicenti se habere dispensationem, &c. nisi &c.
10 Nullus scribere possit ad Illustrissimum & Reuerendiss. Protectorem sine licentia.
11 Prælati cauti sint in delationibus.



SECRETA insuper aliqua intus, vel foris, quę cõtra religionis profectũ sint, aut cõtra proximũ, aut vnde aliquod scãdalũ oriri posſit, nulli penitus suscipere liceat: quin ipsa Prælato, siue Præsidenti suo statim reuelet. 1
† Quapropter nullus fratrũ nostrorũ cum aliqua persona, etiã religiosa, seu ecclesiastica, sine licentia ipsius Pręlati, aut Præsidẽtis sui, in specie, siue in genere, concessa, loqui audeat: sed interrogatus breuiter respondeat, & Prælato statim denuntiet. 2
† Nouitij verò, digito ori apposito, hospitem remorẽtur; & Prælato suo, 3

ſeu magiſtro illicò ſignificare procurent.
4 † Multò magis fratres Ordinis noſtri prohibentur, ſine licentia ſui Superioris, ſcribere, vel aliquod mãdatum alicui, cuiuſcumque ſtatus, & condicionis exiſtat, mittere, vel ab altero miſſum recipere, atque etiam alienas litteras perferre, aut referre, etiam fratribus
5 noſtri Ordinis: † & præſertim oſtiarij, qui omnes litteras, ſiue mãdata, tam intus, quàm foris, Prælato ſuo referre teneantur: nec alicui poſsint, ſine illius licentia, in genere, vel in ſpecie obtenta; aliquid tale reddere, vel referre: quod à patre noſtro S. Auguſtino in Regula apertius inhibetur; niſi tantũ Priori generali, & Viſitatoribus, à quibus etiam re-
6 cipere poterunt. † In litteris verò, ſiue mandatis, aut mittendis, aut recipiendis, eiuſmodi ordo ſeruetur, vt Prælatus quidem primũ videat, legatq; litteras, & audiat mandatum, vt pro eius diſcretione vel mittantur, ſeu re-
7 cipiantur, vel non. † Litteras autem Prioris generalis, & Viſitatorum, ceterorumq. Prælatorum conuẽtualium, cuicumque directas, nulli neque Prælato, neque ſubdito, aperire, ſeu legere, aut retinere, liceat; ſed omnes ſtatim, & abſque mora, ijs, quibus directæ
8 ſunt, reddere teneantur. † Nullus etiam præſumat, litteras ſibi, aut ſubditis ſuis non dire-

ctas quoquo modo aperire, aut legere, vel retinere; sed, cùm primum eas quispiam receperit, citò, & fideliter ad eos, quibus directæ sunt, transmittere procuret. † Denique, si 9
aliquis fratrum Ordinis nostri suo Prælato, vel Præsidẽti, dixerit, se aliquam gratiam, vel licentiam, aut dispensationem, à Priori generali, vel Visitatoribus obtinuisse, ipse quidem Prælatus, aut Præsidens, non prius acquiescat, quàm hoc ipsum Priori generali, vel Visitatoribus, significando, certior fiat; nisi frater ille ostenderit litteras, eorundem Prioris generalis, vel Visitatorũ sigillo munitas. † Nullus præterea Ordinis nostri; cu- 10
iuscumque gradus, & condicionis exsistat, litteras Illustrissimo ac Reuerendissimo Cõgregationis nostræ Protectori de rebus ad ipsam Congregationem spectantibus scribere possit; subditus quidem, sine licentia, & subscriptione sui Prioris, & Vicarij; Prælatus verò, sine scientia sui Vicarij, & antiquioris Canonici sui Conuentus; sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ ad triennium. Item nec etiam accedere ad Curiam Romanam, sub eadem pœna, exceptis ijs Conuentibus, qui in eadem Curia lites, & causas habent. † Cautos insuper se exhibeant Prælati 11
in mandatis, aut delationibus, quæ interdum

refe-

referuntur; ne fortè nimium creduli, sibi, alijsq. scandalum generare dignoscantur. Contra verò præmissa faciẽtes pœnæ grauis culpæ subijciantur, exceptis ijs, qui litteras Prioris generalis, vel ab ipso ad alios, vel ab alijs ad ipsum directas aperuerint, legerint, vel retinuerint: quos pœnæ grauioris culpæ volumus subiacere.

DE RECEPTIONE NOVITIORVM in domum. Cap. XV.

1 Nouitiorum recipiendorum modus.
2 Nouitij semel propositi,& non recepti, amplius non proponantur.
3 Inquisitio de moribus nouitiorum fiat.
4 Nouitiorum qualitates, vt recipiantur in domum.
5 Forma scrutandi voluntates Canonicorum, in omnibus tractatibus, & capitulis.
6 Duæ ex tribus partibus requiruntur ad recipiendum nouitium.
7 Prælatus diem, ac horam recipiendi nouitij statuat.
8 Conuersi non recipiantur, nisi &c.
9 Professi alterius Ordinis non recipiantur, nisi &c.
10 Pœna ijs, qui Conuersos, vel Professos alterius Ordinis receperint, & qui Commissos. & nu. 13.
11 Commissi non recipiantur, nisi post trigesimum ætatis annum.
12 Commissi non recipiantur post quadragesimum annum.
14 Oblatus nemo recipiatur, nisi &c.

CIR-



IRCA receptionem nouitiorum in domum, diligens cura est adhibenda: nam, secundum qualitates, seminum segetes crescunt. De fundamētis igitur, primò curandum est, vt talia sint, super quibus erigi valeat perfectionis celsitudo sanctæ Religionis. Quapropter nul- 1
lus recipiatur in domum sine consensu maioris partis professorum Canonicorum, & ante ætatis suæ annum sextumdecimum, & nisi sit sanæ mentis, & bonæ indolis. † Et, si 2
quis semel propositus fuerit, & nō receptus, amplius non proponatur, nec etiam ad aliū ex nostris locis mittatur, nisi de consilio maioris partis sacerdotum. † Quia verò inscru- 3
tabile est cor hominis, ante receptionem cuiuscūque nouitij ad habitum Ordinis, quęratur diligenter de moribus, & conuersatione eius; teneaturque cum Canonicis professis ad communem vitam, communiaque colloquia, aliquo tempore, plus, minusve, prout ad gloriam Dei, religionisque profectum Prælato videbitur expedire: quo quidem tēpore exerceatur prudenter circa abnegationem propriæ uoluntatis, & opera humilia, ea pręsertim, quæ requirunt frequentius patientiam. † Qui sic, ut pręfertur, probatus, si 4

apparuerit uerisimiliter aptus ad religionē, & ipse nouitius semel, uel pluries ad habitum recipi cum omni humilitate coram omnibus Canonicis postulauerit, excluso eo cū ceteris nouitiis, proponat eum Prælatus Canonicis in Capitulo: coram quibus, si quis uoluerit aliquid pro eo, uel contra eum dicere, surgens dicat, quod sibi ad Dei honorem, religionisque profectum, expedire uidebitur: &, auditis omnibus aliquid dicere uo-
5 lentibus, † scrutentur Canonicorum uoluntates per suffragia, idest per fabas albas, & nigras, uel huiusmodi: quæ uidelicet scrutationis forma semper, & ubique in omnibus tra-
6 ctandis obseruetur: † &, facto calculo, si omnibus, uel saltem duabus ex tribus partibus
7 uidebitur esse ad habitum recipiendus †, Prę latus hoc Canonicis denuntiet, & diem, ac
8 horam ad id faciendum statuat. † Nolumus tamen propterea aliquem ad habitum Conuersorum recipi, nisi de expressa licentia Capituli generalis, & consensu conuentualium
9 illius loci, in quo huiusmodi petit recipi. † Similiter nec aliquem alterius religionis expresse professum ad habitum nostrum modo aliquo recipi, absque expressa eiusdem
10 Capituli generalis licentia: † &, qui contra hæc duo præmissa fecerint, illicò pœnā gra-

uis culpæ incurrant.† Illud etiam addere ui- 11
ſum eſt, ut nullus Prælatorum, ſeu Præſidentium Monaſteriorum noſtrorum recipere poſsit aliquem ad habitum Commiſſorum, qui trigeſimum ætatis annum tranſierit, ſine licentia Prioris generalis,& Viſitatorum,ſub
pœna priuationis officij ſui. † qui uerò qua- 12
drageſimum exceſſerint,ut recipiantur,†nec 14
ipſe Prior generalis,& Viſitatores licentiam concedere poſsint, ſub eadem pœna, quam ipſi contrafacientes illicò incurrant. Similiter, ut nemo admittatur, aut recipiatur in Oblatum, etiam ſub ſpe cuiuſcumque pecuniarum quantitatis, abſque eorundem Prioris generalis, & Viſitatorum licentia obtenta,& conuentualis Capituli, ubi huiuſmodi recipiendus eſt, conſenſu, pœna priuationis officiorum, & iuris utriuſque ſuffragij contrafacientibus indicta.

DE RECEPTIONE NOVITIORVM ad habitum. Cap. XVI.

1 Nouitiorum recipiendorum modus.
2 Nouitius interrogetur de multis,etiam notis.
3 Nouitio exponuntur auſteritates Regulæ, difficultates Ordinis,& maxime vota Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis.
4 Prælatus, quid reſpondeat Nouitio.
5 Nouitius exſuatur veſtibus ſæcularibus.
6 Nouitio induto,proceſſio ad Chorum, cantando &c.

7 Nouitius

7 Nouitius, si Clericus futurus est; quid faciendum.
8 Capillorum incisio.
9 Nominis impositio.
10 Nouitius commendetur magistro.
11 Liber, in quo conscribantur nomina Canonicorum, & fratrum, & omnia ad id pertinentia.

1 VM autem aliquis ad habitum religionis recipiendus est, die, & hora ad hoc præstituta, Canonicis in loco Capituli congregatis, magister nouitiorum ad iussum Prælati adducat recipiendum in Capitulum: qui, cum eò peruenerit, prosternat se in medio; &, interrogatus à Prælato, quid petat, respondeat Misericordiam Dei, & uestram: posteà, ad iussum Prælati erectus, iterùm ab eo interrogetur, quid petat, respondeatque nouitius, Pater, peto recipi ad habitum Ordinis uestri, & huius sanctæ Congregationis, licet indignus
2 sim, & peccator. † Tunc Prælatus interroget eum, (quamuis apud omnes esset notum) liber ne sit, an seruus; solutus, an coniugatus; sęcularis; an in aliqua religione professus; an debitis implicatus; an corpore sanus; cui respondenti, se esse liberum, solutum, non professum, non obligatum debitis, nec corpore infirmum; † exponantur consequenter,
3 quàm breuius fieri poterit, austeritates Regu-

læ,& Ordinis, insidiæque Diaboli, Christi militibus præparatæ, consanguineorumque frequentes insultus. Quo afferente, se sub fiducia Diuini auxilij velle cũcta seruare, ac pati,† dicat Prælatus, Dominus, qui incepit, ipse perficiat; & Conuentus respondeat Amen: deinde eodem modo subiungatur à Prælato, Conuentu inuicem respondente, 4

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, & vsque in sæculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Oremus: Deus, qui per coæternum filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inueteratum per mysterium sanctæ incarnationis tuæ renouare dignatus es, te supplices exoramus, vt eiusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum, abrenuntiationem sęculi profitentem, clementer respicere digneris, per quam in spiritu suæ mentis renouatus, veterem hominem cum actibus suis exsuat, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur, Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecũ, & cum Spiritu sancto viuit, & regnat, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et alia Oratio. Oremus: Domine Iesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad patrem, quæsumus clementiam tuam, vt hunc famulum tuum à carnalibus desiderijs abstractum per iter regularis disciplinæ deducas; &, qui peccatores dignatus es vocare, dicens, Venite ad me, omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, præsta, vt hæc vox inuitationis ita in eo conualescat, quatenus, peccatorũ onera deponens, &, quàm dulcis es, gustans, tua refectione sustentari mereatur; & (sicut attestari de tuis ouibus dignatus es) agnosce eũ inter oues tuas, vt ipse te agnóscat, & alienum non sequatur, sed te; nec audiat vocem alienorum, sed tuam, qua dicis, Qui mihi ministrat, me sequatur: qui viuis, & régnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Item alia Oratio. Oremus: Sancte spiritus, qui te Deum, ac Dominum reuelare mortalibus dignatus es, postulamus immensam tuæ pietatis gratiam, vt, sicut, vbi uis, spiras, sic & huic famulo tuo affectum deuotionis indulgeas; &, quoniam sapientia tua est conditus, tua quoque prouidentia gubernetur. super quem gratiam vnctionis tuæ effunde; & per intercessionem Beati Augustini, quem præcipuum huius sanctæ institutionis legislatorem dedisti, & omnium sanctorum, cum à vanita-

te sæ-

te sæculi conuerte, & ad obseruantiam huius sancti propositi fac eum ita certatim feruere, vt in tribulationibus, & angustijs, tua indeficienti consolatione valeat respirare; & vt iustè, & piè, per veram humilitatem, atque obedientiam, in fraterna caritate fundatus, quod te donante promittit, felici perseuerantia cōpleat: quod ipse præstare digneris, qui cum Deo patre, sanctoque vnigenito filio eius Domino nostro Iesu Christo, viuis, & regnas, Deus, per infinita sæcula sæculorum. ℞. Amen.

† Tum verò exuat eum genibus flexis ante se manentem sæcularibus vestibus Prælatus, dicendo, Exsuat te Dominus veterem hominē cum actibus suis: ac subinde induat sacrę Religionis vestibus, dicendo, Induat te Dominus Iesus Christus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. 5

† Cantor autem incipiat hymnum Veni creator spiritus, & tum Canonici bini ordine procedentes eant, iunioribus præcedentibus, in chorum, cantando interim ipsum hymnum: post quos omnes vltimo loco magister nouitiorum cum nouitio sequatur. Canonicis itaque in sedibus suis stātibus, & prosequentibus hymnum, maneat nouitius ante gradus altaris genibus flexis, magistro nouitiorum in vltima chori sede stante. 6

Denique, hymno completo, & ſubiuncto à Cantoribus,

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabitur: & à Conuentu,

℟. Et renouabis faciem terræ; à Prælato, & Conuentu alternatim dicatur,

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oratio. Oremus. Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da huic famulo tuo in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tum ducat magiſter nouitiorũ indutum nouitium ad Prælatum, qui adſpergens eum aqua benedicta recipiat ad oſculum pacis: & ſimiliter ceteri Canonici primum, qui ſunt ex choro Prioris, deinde qui ſunt ex choro Vicarij, ordine, quo ante de thurificatione dictum eſt, dicendo ipſi Pax tecum, & noui-
7 tius reſpondeat, Et cum ſpiritu tuo. † Demũ,
ſi veſtitus nouitius Clericus futurus eſt, ante Prælatum iterum genua flectat, & Prælatus ei, in ſignum coronæ, quam geſtare habet,
8 in quatuor partibus circum caput † particu-
9 lam aliquam capillorum incidat, & † nomen
10 imponat: † commendetq. illum magiſtro, qui curam illius habeat. In fine omnium di-

mittat Prælatus Conuentum, ſic alternatim cum eo dicens,
℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Benedicite. ℟. Deus.
℣. Dominus nos benedicat,& ab omni malo defendat,& ad vitam perducat æternam: & fidelium animę per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

Et † quoniam memoria hominũ labilis eſt, 11
ordinamus, vt in quolibet noſtrorum Conuentuũ habeatur liber, in quo ordinatè conſcribantur omnia nomina Canonicorum, ac fratrum noſtrorum, & dies, quando vel ad ad habitum, & profeſsionem recipiũtur, vel diem claudunt extremum, vel (quod abſit) ab Ordine defecerint, atque apoſtatarint: quo etiam in libro annotetur dies, quo ad ſacros ordines promouentur Canonici noſtri; faciendo de anno, & menſe, & ordine mentionem expreſſam.

DE INSTITVTIONE Nouitiorum. Cap. XVII.

1 Magiſter nouitiorum qualis eſſe debeat, & quæ eos docere debeat. & num. 4.
2 Nouitiorum educatio, & conuerſatio. & num. 4.

3 Officium

3 Officium Diuinum, & ad illud pertinentia doceantur Nouitij à Magistris intra tempus Probationis.
4 Probationis tempus annuum.
5 Nouitij intra annum Probationis ad longinquas partes nõ mittantur.
6 Vestes nouitiorum intra annũ Probationis non alienẽtur.
7 Nouitij ad sacros ordines non promoueantur intra tempus Probationis.
8 Lectio Conuersis, & Commissis. & Regula, & Constitutiones exponantur. & num. 9.



ED, quoniam nouellæ plantationes, nisi irrigentur frequenter, non crescunt, sed exsiccantur; propterea curet Prælatus Cõuentus † Canonicum aliquem religiosum pariter, & discretum præponere nouitijs, qui eos doceat, & exerceat, exponendo sæpius Regulam, & Constitutiones Ordinis, vitasq. sanctorũ Patrum, & eorum collationes, nec non alios
2 libros spirituales legendo cum eis; † instituendoq. eos ad humilitatem, ad omnem mansuetudinem, ad omnimodam obedientiam, & ad integram abdicationem propriæ voluntatis; inducatq. eos obseruare mores Ordinis cõcorditer; omnem singularitatem fugere; deuotè, ac libenter orare; frequenter, pureq. confiteri; eos demum docens, quo modo vbique, & in rebus omnibus, se habere debeant: quibus etiam, cum ante

ipsum veniam petierint, de suis defectibus, & negligentijs, pænitentiam imponat. † In- 3
tra tempus quidem ipsorum probationis instruantur nouitij diligenter psalmodia, & cantu, & alijs ad Diuinum officium pertinentibus; & ijs, quantum fieri poterit, Regula, & Constitutiones (vt dictum est) exponantur: in alijs autem plus, minusue occupentur, prout secundum Deum Prælato, seu magistro ipsorum, visum fuerit expedire.
† Studeat insuper Magister nouitiorum ip- 4
sos nouitios verbis, & exemplis roborare circa tolerantiam tentationum, zelum assumptæ religionis, paupertatis amorem, rerum sæcularium abdicationem, atque omnium fugam mundanorum, tum maximè, cum viderit eos tẽtatos, aut de propinquo per quascumque personas, vel qualitercumque tentandos, eosdem in primis suarum instantia orationum iuuando. † Item nouitij intra an- 5
num probationis ipsorũ ad longinquas partes, nisi ob causam necessariam, non mittantur: † neque ipsorum vestes ante eorum pro- 6
fessionem alienentur: † neque ipsi ad vllos 7
sacros ordines promoueantur. † Prouideat 8
præterea quilibet Prælatus, aut Præsidens, in suo Conuentu aliquem idoneum Canonicũ nouitijs Cõuersis, & Commissis, præponere,

qui eis similiter legat quotidie, vel saltem diebus festis, aliquid ex libris spiritualibus;
9 † exponatq. Regulam, & Constitutiones, ac alia eos doceat, quæ ad regularem obseruantiam pertinet, & statui eorum sunt congrua, & saluti vtilia: vt & ipsi, sicut ceteri clerici, valeant intelligere, quæ obseruare debeant, quæq. vitare, seu fugere teneantur.

DE DISCVSSIONE VITÆ, & morum nouitiorum. Cap. XVIII.

1 Nouitij sint puri &c.
2 Professio tacita, & expressa.
3 Examinatio vitæ nouitiorum tempore probationis.
4 Nouitius si minus bene se gesserit ante probationem, quid agendum.
5 Professio differatur ad terrorem, cum quo, & quo modo.
6 Nouitius incorrigibilis reijcitur mansuete, & caritatiue.
7 Nouitius petit in Capitulo ad professionem recipi.
8 Nouitij non intersint secretis Capituli.
9 Magister nouitiorum testimonium reddat de Nouitio.
10 Nouitium qui in Capitulo vult accusare, possit, petita licentia.
11 Consentientibus omnibus, vel maiore parte, statuatur dies ad accipiendum Nouitium.


VM expeditos ab omnibus mundi nexibus oporteat esse Abraæ vernaculos, qui Christi militiam in sacra religione profitentur, † satagendum Gen. 14.

est, vt purus, & nudus, & ab omnibus mundi impedimẽtis expeditus ad professionem veniat, qui debet profiteri. Itaque officiũ Prælati, & Magistri nouitiorum, erit, ante professionem tacitam, vel expressam considerare, numquid ille, qui profiteri debet, habeat aliqua sibi in sæculo expedienda, vel cum quibuscumque personis quidquam componendum, aut determinandum: vt is, cum ipsorum consilio, faciat, quæ facienda sunt, pro honestate, ac salute. Item eorundem Prælati, & Magistri nouitiorũ, interest, considerare, † qualem vitam, qualesq. mores cõuersando duxerit cum fratribus Nouitius intra tempus probationis ipsius. † quod si ille minus benè se gesserit, prudenter examinẽt, etiam cum consilio aliorũ Discretorum Canonicorum, sit ne tolerandus, an reijciẽdus, an de eius emendatione sperandum. † Si primum illud, vel postremum hoc viderint, poterunt ad terrorem professionẽ differre, protestatione facta, se per lapsum temporis non intendere ipsum esse professum, nutriendo eum tamen sub spe cũ disciplina, prout nouerint expedire. † Vbi verò eum viderint incorrigibilem, & reijciendum, si verisimiliter appareat eum alteri religioni fore aptum, illam ei, quantum possunt, persuadeant, vt

Margin numbers: 2 (at "niat, qui debet profiteri"), 3 (at "siderare"), 4 (at "tra tempus"), 5 (at "an de eius"), 6 (at "uerint expedire").

Nouitiorũ renũtiatio, seu testamẽtum, fiat p duos mẽses ante pfess. Sac. Conc. Tridẽ. Sess. 25. de reg. cap. 16.

num-

numquam reuertatur ad sæculum: alioquin cum omni mansuetudine, & caritate, fama eius (quantum fieri potest) seruata, restitutis eidem vestibus sæcularibus, quas ad religionem veniens secum attulit, ad propria loca ipsum remittant, exhortando, vt etiam in sæculo benè, & honestè, viuere conetur, vt, sic faciendo, etiam in tali statu (quod nõ est im-
7 possibile) saluari mereatur. † Cum autẽ quis profiteri habet, petat prius in Capitulo, cum omni humilitate, & deuotione, ad professionem recipi: deinde Prælatus, tempore, quo
8 ipsi videbitur, † exclusis nouitijs, recipiendũ Canonicis proponat in Capitulo: corã qui-
9 bus Magister nouitiorum, secundum conscientiam suam, de illo testimonium reddat:
10 † &, si aliquis pro eo, vel contra eum vellet aliquid dicere, petita à Prælato licentia, quã is negare non possit, surgẽs religiosè, & modestè dicat, quod sibi, secundum Deum, pro bono religionis videbitur esse dicendum: deinde, auditis omnibus, qui aliquid dicere voluerint, scrutentur ipsorum Canonicorũ voluntates, & vota, vt ante cap. xv. contine-
11 tur: &, † accedente consensu omnium, vel saltem maioris partis eorum, statuatur dies, & hora ad id faciendum.

DE

DE PROFESSIONE. Cap. XIX.

1 Professionem petendi modus.
2 Professionis ius, à Prælato declaretur.
3 Professio quo modo fiat.
4 Professio quando fit Priori generali, quo modo facienda.
5 Professio quando fit Prælato, vel Præsidenti, quo modo facienda.
6 Professionis instrumentum fiat à Notario, & omnia notentur in libro, omni modo.
7 Indumenta profitenti danda benedicantur à Prælato, & Conuentu.
8 Scapulare professorum, & rochetum, quando Nouitijs datur.
9 Societas communis Congregationis Nouitio quando datur à Prælato.
10 Osculum pacis Nouitio detur.
11 Absolutionem plenariam Nouitij consequuntur, per professionem.
12 Pænitentia quæ detur, & quando, Nouitio.
13 Cantore incipiente hymnũ, ceteri Canonici prosequãtur.
14 Professus sub disciplina Magistri nouitiorum manet.
15 Professus quis vere sit.
16 Habitum Professus accipere non potest ante annum decimumsextum expletum.



CONSTITVTA itaque die, & hora de mandato Prælati omnibus in Capitulo congregatis, qui profiteri debet, accedat, & prosternẽs se in medio Capituli, ante Prælatum, aut Præsidentem, petat humiliter ad professionem recipi: post cuius petitionem † Prælatus ei succinctè 1 2

decla-

declaret, ita, vt benè intelligat vim profeſſionis, quam facere cupit. Et interrogatus, vtrum cum eo propoſito profiteri intendat, vt omnia in regula, & conſtitutionibus Ordinis tradita obſeruet, ſi reſponderit Sic, dicat Prælatus, & Conuentus, alternis,

℣. Augeat Dominus in te fidei, ſpei, & caritatis augmentum, vt valeas implere præcepta. ℟. Amen.

℣. Spiritus ſanctus ſuperueniat in te, & virtus altiſsimi te à peccatis cuſtodiat. ℟. Amen.

℣. Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oratio. Oremus:

Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, qui es verus, & omnipotens Deus, ſplendor, & imago patris, & vita æterna, qui tuis diſcipulis aſſeruiſti, vt, quicumque vult poſt te venire, ſeipſum abneget, &, ſuam crucem tollens, te ſequatur: quæſumus clementiam tuam, vt hunc famulum tuum, qui, iuxta verbum tuũ, ſeipſum abnegare, ſuamq. crucem tollere, & te ſequi deſiderat, ac ſanctæ religionis profeſſionem ſpontè emittere cupit, benedicendo benedicas, ſemper, & vbique protegas, à pe-

Hebr. 1.

Mat.th. 16.

riculis omnibus eruas, à vinculis peccatorũ absoluas, dies, & actus eius in tua pace dispo-nas, prospera cuncta concedas, vt inter præsentis sæculi angustias tuo semper munere gubernetur. Illumina eum etiã lumine gratiæ tuæ, & concede propitius, vt, sicut luminaria, igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita cor huius inuisibili igne, idest Sancti spiritus splendore, illustratum, omnium vitiorum careat cęcitate, vt purgato mentis oculo ea cernere possit, quæ tibi sunt placita, & suæ saluti vtilia: quatenus post huius maris caliginosa discrimina ad lucem indeficientem peruenire mereatur, per te Christe Saluator, qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sęculorum. ℞. Amen.

Tunc, † si professio sit Priori generali, Nouitius sit genibus flexis, ponendo manus suas 4
in manibus dicti Prioris generalis, profiteatur hoc modo, dicens, Ego Domnus I. facio professionem, & promitto obediẽtiam Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Augustino, & tibi Domno A. Priori generali Canonicorũ Regularium Congregationis S. Saluatoris, Ordinis S. Augustini, & successoribus tuis, secũdum regulam Beati Augustini, & institutiones Canonicorum eiusdem Ordinis, quod ero obediens tibi, tuisq. successoribus vsque

ad

5 ad mortem. † Cum verò fit alteri Prælato, vel Præsidenti, cuicũque, professio, ea sic facienda est. Ego Domnus I. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Augustino, & tibi Domno A. Priori (vel, pro ratione personæ, Visitatori, Abbati, Præposito, Præsidenti) Monasterij S. S. vice Domni P. Prioris generalis Canonicorum Regularium Cõgregationis S. Saluatoris, Ordinis S. Augustini, & successorum eius, secundum regulam Beati Augustini, & institutiones Canonicorum eiusdem Ordinis, quòd ero obediens tibi, tuisq. successoribus, vsque ad mortem. †
6 Cui professioni (si fieri potest) intersit Notarius, qui de ea publicum conficiat instrumentum; alioquin alio tempore id fiat, nec omnino prætermittatur, annoteturq. in libro (vt supra cap. xvj. dictum est) cum nomine Notarij.
7 Post hæc, indumenta profitenti danda, idest rochetus, & scapulare benedicantur à Prælato, & Conuentu, alternatim sic dicentibus:

℣. Ostẽde nobis, Domine, misericordiã tuã.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Oremus. 7

Domine Iesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abũdantiam, vt hoc genus vestimẽtorum, quod sancti Patres, ad innocentiæ, & humilitatis indicium, abrenuntiantes sæculo, ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, vt, qui hoc vsus fuerit, te induere mereatur Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Tum verò Prelatus adspergat aqua benedicta primùm indumenta, deinde ipsum profitẽtem, quem postea exsutum scapulari nouitiorum, & rochetto, † induat scapulari pro- 8
fessorum, & rochetto, dicendo, Induat te Dominus Iesus Christus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Deinde subiungat aliã orationem: Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris; & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitũ sanctæ professionis imponimus, vt, te largiente, deuotè in sancta Ecclesia tua persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc, Prælatus donet ei † cõmunem so- 9
cietatem Congregationis, proferens hanc

exhor-

exhortationem S. Auguſtini. Omnes, quamuis per gratiā baptiſmi ſimus fratres in Chriſto, & vnum patrē habeamus in cælis, ſi eius præceptis, prout poſſumus, obſequimur; proculdubio tunc maximè vnimur, quādo orationibus, vel beneficijs nos inuicem copulamus: quemadmodum in primitiua Eccleſia Sancti Patres, quibus cor vnū, & anima vna erat, fuiſſe leguntur: quoniam plures, Chriſti amore, mentis ardore ſuccenſi, poſſeſsiones, & facultates rerum vendentes, congregata in vnum pretia ad pedes Apoſtolorum deferebant, gaudentesq. Apoſtoli accepta tribuebant omnibus; prout opus erat. Sicq. iſte nihilominus, Deo inſpirante; corū exēplo commonitus, noſtris optat adiungi conſortijs: iccirco damus ei communem ſocietatem viuendi nobiſcum, quantum à Domino poſſumus promereri, & noſtrum eſt elargiri: quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromiſſa percipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Act. 4.

10 Deinde † recipiatur profeſſus ad oſculū pacis, vt ſupra in Capitulo De receptione nouitiorum ad habitum dictū eſt. † Vltimo loco Prælatus faciat ei abſolutionem plenariā Ordini noſtro à ſanctæ mem. Domino Papa

Gregorio XII. & Iulio II. concessam, hoc modo: Primum dicat absoluendus Cõfiteor totum, & Prælatus subiungat Misereatur, & Indulgentiam, & subinde dicat: Auctoritate Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mihi commissa, & tibi cõcessa, ego te absoluo ab omni sẽtẽtia excommunicationis maioris, vel minoris, & restituo te vnitati fidelium, & sanctis sacramentis Ecclesiæ: & auctoritate mihi commissa, & tibi concessa, te absoluo ab omnibus peccatis tuis, contritis, confessis, & oblitis. Item auctoritate Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & etiam auctoritate Domini nostri Summi Pontificis mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, & quantum debeo, & gratum in oculis Diuinæ Maiestatis fuerit, te absoluo ab omnibus pœnis tibi in Purgatorio debitis propter culpas, & offensas, quas contra Deum commisisti, (vt in priuilegio Ordini nostro à Sanctæ memoriæ Domino Papa Gregorio XII. & Iulio II. concesso plenius continetur) In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.† Facta itaq. 12
absolutione modo præordinato, ei, qui (sicut prædictum est) professionem fecit, iniungat aliquam pænitentiam, vtpote Septem Psal

morum

13 morum pænitentialium. † Et tunc, Cantore incipiente hymnum Magne pater Augustine, ceteri Canonici prosequãtur vsque in finem, alternatim cantando: quo completo, dicantur suo ordine:

℣. Ora pro nobis, Beate Pater Augustine.

℟. Vt digni efficiamur ꝓmissionib⁹ Christi.

Oratio. Oremus.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotẽs Deus; &, quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente Beato Augustino, Confessore tuo, atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, subiungat idem Prælatus versiculum Adiutorium nostrum, & cetera, vt ante

14 capitulo sextodecimo expositum est. † Ipse tamen, qui tum professionem fecit, sub disciplina magistri, ad nutum Prælati, vel Præ-

15 sidentis, adhuc perseuerabit. † Volumus tamen, vt nullus planè censeatur professus, etiam post lapsum Anni, nisi expressè professus fuerit, & habitum professorum accepe-

16 rit: † quem quidem accipere non potest ante annum sextudecimum expletum. alioquin professio est nulla. Cõc. Trid. sess. 25. c. 15.

DE

DE OBEDIENTIA, & subiectione. Cap. XX.

1 Canonici, Conuersi, & Commissi, & alij, sub obedientia sint; & quorum, num. 2.
3 Canonici ad alia loca declinantes, sint sub obedientia Prelatorum locorum illorum. & Prælati ipsi, num. 4.
5 Prælatorum, & Vicariorum, locus in Ciuitatibus, vbi duo sunt Monasteria, tam extra in publicis Processionibus, quam intra, Processionum tempore.
6 Prior generalis quem locum habere debeat ad Capitulum Generale.
7 Prælatus Conuentus, vbi Capitulum celebratur, quem locum teneat ad Capitulum Generale.
8 Visitatores, Definitores, & Prior generalis Superioris anni, qui iam renuntiauit, Prelati Conuentuales, Procurator generalis, Vicarius Conuentus, Socij Prælatorum, Canonici Conuentuales, quem locum habeant ad Capitulum generale.
9 Visitatorum locus, in Visitationis officio.
10 Prælatorum locus, extra suum Conuentum.
11 Visitatoris auctoritas, in suo Conuentu.
12 Visitatores possint eligere sibi Confessorem.
13 Equos visitatorum qui alere debeant.
14 Præcedentia loci, qualis.
15 Prælati quo modo possint aliquem ad altiorem locũ promouere, quam ei competat per professionem.
16 Professi alterius Congregationis locũ vbique teneant professionis in nostra emissæ: nec vllo modo dispensentur.
17 Nouitij, & iuniores, honorent magistros.
18 Iuniores, obseruent seniores.
19 Obuiantes inuicem, nutu capitis se salutent.
20 Libertas modesta cuique, in Capitulo Conuentuali.
21 Prælati, & Subditi, non inferant violentiam voluntatibus in Capitulo.
22 Consuetudines antiquas non ita facile immutent Prælati, nec nouas instituant, absque consensu Conuentus, & licentia Maiorum superiorum.



T autem obediētiæ, & subiectionis fructus vbique, & semper à cunctis indifferenter percipiatur, præsenti ordinatione statuimus, vt † om-
1 nes Congregationis personæ, tam Canonici, quàm Conuersi, & Commisi, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, aut condicionis fuerint, primum sint sub obedientia Capituli generalis, Prioris generalis, & Visita-
2 torum: † deinde sub obedientia illorũ Prælatorum, in quorum Monasterijs fuerint pro
3 conuentualibus assignati. † Idem etiam intelligi volumus de Canonicis, & fratribus ad alia loca quacumque de causa declinantibus, vt scilicet sub Prælatorum locorum illorum obediētia, dum præsentes extiterint, tamquam eorum subditi, cum omni mansue-
4 tudine, & humilitate, se habeant. † Ipsi quoque Prælati, ad alios Conuentus aliquando declinantes, cum omni humanitate, & reuerentia, Prælatis illorum Conuentuum se exhibebunt. Declaramus tamen, atque decernimus, vt, pro communi caritate, paceq.
5 inter Canonicos nostros seruãda, † Venetijs, & vbicũque in vna ciuitate duo fuerint Monasteria, inuiolabiliter huiusmodi in procedendo ordo seruetur: uidelicet, ut foris in

publi-

publicis processionibus Prælati illorum Monasteriorum, verbi gratia Priores S. Saluatoris, & S. Antonij Venetiarum, primum, ac digniorem teneant locum; postea Visitatores, si aderunt; deinde Vicarij eorundem Conuentuum; post quos Prælati aliorum Monasteriorum (si qui tum forte aderunt) sequantur. Idem fiat tempore processionum prædictarum, intus in Monasterijs procedendo, preterquam quòd Prior S. Saluatoris in Monasterio S. Antonij locum sub Vicario Conuentus illius tenebit: quod idem vicissim de Priore S. Antonij in Monasterio S. Saluatoris intelligēdū est. Similiter Vicarius S. Saluatoris in Monasterio S. Antonij locum sub Prælatis conuentualibus, qui tum ibi intererunt, & super ceteros Canonicos conuentuales habebit. quod ipsum de Vicario quoque S. Antonij in Monasterio S. Saluatoris statuendum est: reliquo autem anni tempore semper vtrique Vicarij professionis suæ locum retineant. † Ad Capitulum autem ge- 6
nerale, congregatis Canonicis nostris, Prior generalis locum primum teneat; secundum
† Prælatus illius Conuentus, ubi Capitulum 7
celebratur: quem uigore præsentis constitutionis Vicarium generalem, ipso Capitulo generali durante, esse decernimus; post hūc

8 sequantur † Visitatores, & Definitores; tum Prior generalis superioris anni, qui iam officio renunciauit; postea Prælati conuentuales, quisque secundum professionem suam; deinde Procurator generalis; & post eum Vicarius Conuentus, qui in omnibus, vt antea, absentibus supradictis, circa curam Conuentus suo vtatur officio; postremo ceteri, tam socij Prælatorum, quàm Canonici conuentuales, pro sua quisque professione, ordinatè locentur. Et infra ca. 31. §. 12.
9 † Visitatores autem omnes, eum ipso actu Visitationis funguntur officio, atque etiam extra Visitationē; in Monasterijs quidem locum suum teneant sub Prælatis eorum Conuentuum, in quibus se repererint, & super eorum Vicarios; atque omnes alios aliorum Conuentuum Prælatos; sed in itinere super omnes Monasteriorum Prælatos.
10 † Ipsi etiam Prælati conuentuales, extra suos Conuentus, in alijs Monasterijs, locum sub Prælatis, & sub Vicarijs illorū, tenebunt.
11 Nec tamen propter hoc volumus, ipsos † Visitatores extra tempus Visitationis suæ in aliquo se intromittere circa regimen domus; sed Vicarij suum ipsi officium perinde exerceāt in omnibus, & per omnia, ac si prædicti Visitatores præsentes non essent; exceptis ijs, quæ sunt dignitati annexa, vt in benedi-

ctionibus, & confeſsione ad Primam, & ad Completorium, & in primis Antiphonis, & ſimilibus; niſi Prior generalis, aut Prælatus conuentualis maiorẽ ipſis Viſitatoribus contulerit auctoritatem: † ipſis tamen Viſitato- 12
ribus liberam eligendi ſibi Confeſſorem, tenore præſentium, facultatem concedimus: quibus etiam volumus, vt † Conuentus, qui- 13
bus ipſi adſcripti fuerint, equos pro facienda viſitatione prouidere teneantur; qui, ea peracta, ſuis Conuentibus reſignentur. † Cete- 14
rorum autem fratrum, iuniores ſenioribus cedant: quorum iuniores eſſe declaramus primum quidem Commiſſos, deinde Conuerſos, ex quibus nouiſsimos ad habitum recipiendos iuniores eſſe cenſemus: quod & de clericis vſque ad ſacros ordines intelligi volumus. Exſiſtentium verò in ſacris, Subdiaconos Diaconis, Diaconos autem Sacerdotibus iuniores arbitramur. Iuniores itaque, vt declaratum eſt, inferiorem locum in Eccleſia, & vbique, ſemper teneant, auctoritate tamen Prælati ſemper abſoluta, † qua ei 15
licebit præferre illum, quem ex aliqua rationabili cauſa ad honorem Dei præferendum iudicauerit. † Illud tamen, ad euitandas Ca- 16
nonicorum noſtrorum murmurationes, & ſcandala, declarando, addimus; vt profeſsi

alte-

alterius Congregationis, ad habitum nostræ
recepti, cuiuscumque gradus, & condicionis
exstiterint, non possint, ne per Capitulum
quidem generale, ac multò minus per Prio-
rem generalem, & Visitatores, vllo modo de
loco professionis ipsorum in priore Congre
gatione in posterum dispensari; sed locum
vbique teneant professionis in Cōgregatio-
17 ne nostra emissæ. † Nouitij, & ceteri iuniores,
suos teneantur honorare magistros, & iisdē
obedientiam, & deuotionem exhibere sin-
18 gularem: † quod & reliqui, idest iuniores
erga seniores, inuicem obseruantes, religio-
19 sè, humiliter, et deuotè præstare debeāt: † &,
cum sibi inuicem obuiauerint, nutu capitis
20 mutuò se salutēt. † In Capitulo verò, vbi om-
nes conuenire debent, & in quo de commu-
nibus rebus tractatur, omnibus liberè loqui
liceat, (nec cuiquam silentium imponatur;
cum liberam, non coactam deceat vniuscu-
iusque esse voluntatem) seruata tamen sem-
per debita tam morum, quàm verborum ho
21 nestate. † Caueant ergo tam Prælati, quàm
Subditi, cum aliquid proponitur in Capitu-
lo, ne clamoribus, aut verbis, & actibus in-
compositis, videantur ad suas aliorum Cano
nicorum inflectere velle voluntates. Sed, si-
quis ibidem aliquid incompositè, nec cum

ea mansuetudine, & humilitate, quam decet seruos Dei, locutus fuerit, ne tunc quidem, sed alio loco, & tempore, admoneatur, atque etiam ei, secundum culpæ exigētiam, pænitentia iniungatur. † Consuetudines insuper 22
particulares diu in aliquibus Conuentibus, tam in Ecclesia, quàm in domo, obseruatas Prælati non ita facilè immutent, nec alias nouas ipsi instituant, absque consensu maioris partis sui quisque Conuentus, & licentia Prioris generalis, & Visitatorum.

DE MODO, ET TEMPORE promouendi Canonicos ad sacros ordines. Cap. XXI.

1 Canonici, ante professionem non possint promoueri ad sacros ordines.
2 Canonici, post professionem, a Prælato possint ordinari ad minores.
3 Prior generalis, & Visitatores, elapso anno vno a professione, examinent in singulis Conuentibus promouēdos: & hæc examinatio cui danda. num. 4.
5 Aetas promouendorum. & in ea qui possint dispensare. num. 6.
7 Ordo vnus tantum singulis annis conferatur.
8 Pœna contrafacientibus. & num. 9.

1 ORDINAMVS insuper, vt nullus Canonicorum nostrorum ante professionē expressam possit ad vllos ordines promoueri: facta verò profes-
2 sione, Prælatus, quando sibi videbitur,† poterit Canonicos suos ad minores ordinādos
3 curare.† Elapso autem anno vno ab emissa professione, Prior generalis, & Visitatores, tempore visitationis, in singulis Cōuentibus diligenter examinent, atque discutiant promouēdos ad sacros ordines, vtrum sint ido-
4 nei, nec ne: † quorum discussio, atque examinatio deferatur ad sequens Capitulum generale, Priorique generali, & Visitatoribus tradatur; vt ipsi approbent, vel secus, prout sibi
5 videbitur, ad honorem Dei. † Nolumus tamen, vt aliquis ad Subdiaconatus ordinem ante triennium à susceptione habitus Congregationis, ad Diaconatus autē ante quinquennium, ad Sacerdotij verò ante septennium completum vlla ratione valeat promoueri: excepta tamen semper auctoritate
6 Prioris generalis, & Definitorum;† qui poterunt cum aliquibus dispensare: quod tamen facere non valeant, nisi, qui promouendus est, annum ætatis suæ trigesimum attigerit, atque etiam idoneus ab ipsis comprobatus

fuerit: nec tamen hũc talem ad sacerdotium promouendum, nisi post triẽnium ab emissa professione, † nec ei plusquam vnum ordinẽ 7
singulis annis conferendum, curare possint.

De condicionibus ordinandorũ, & ætate, Sac. Conc. Trid. Sess. 23. Capit. 12. & 13.

Nullus autem in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur. † Ideoque, excepta for- 8
ma prædicta, nullus omnino, etiam Prior generalis, & Visitatores, quacumque de causa, intra annum præsumant aliquem Canonicorum nostrorũ ad sacros ordines promouendũ curare, sub pœna grauioris culpæ, quã contrafacientes illico incurrant: &, qui sic ordinatus est, ab eo ordine vsque ad determinationem Capituli generalis, in omnibus, & per omnia, ac si ordinatus non fuisset, perinde suspensus exsistat. † Si quis autem ante 9
prædictam ætatem sacros ordines susceperit, ipso iure suspensus remaneat ab exsecutione ordinum, donec à Sede Apostolica cum eo fuerit dispensatum.

DE

DE REBVS ECCLESIASTICIS, & temporalibus non alienandis. Cap. XXII.

1 Canonici non accipiant nouum locum, neque renuntient, absque Capituli generalis licentia.
2 Monasterium, Congregationi oblatum, posit accipi intra annum.
3 Beneficij vnio, quo modo.
4 Bona alienare non licet nulli Prælato, nec Procuratori.
5 Venditiones, permutationes, & alienationes, supra 25. scutatos, non fiant à Prælatis, seu Præsidentibus, absque consensu duorum Prælatorum viciniorum.
6 Res Ecclesiasticæ, vt libri, vestes sacræ, seu paramenta, calices, non posint pignorari, nec transportari.
7 Si commodantur, commodentur cum pignore, vel cum chirographo.
8 Liber rerum commodatarum, aut commodato acceptarum.
9 Canonici, vsui sibi concessa non venundent, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & pasiuæ ad triennium.
10 Capsula eleemosynarum perceptarum in Ecclesijs. & claues duæ. & pœna ijs, qui acceptam pecuniam in capsulam non coniecerint, &c.
11 Stillationes non fiant, nec vllum alchimiæ genus: sub pœna, &c.
12 Contractus, facti à Prædecessoribus, non rescindantur, aut reuocentur, sed ad Capitulum generale differantur.
13 Fideiusiones non fiant à Canonicis.
14 Compromittere non posint Canonici.
15 Bona, quæ remittuntur, quo modo restituenda. & quibus Monasterijs applicentur. num. 16.
17 Canonici, ad forum sęculare non accedant.
18 Archiuium, seu armarium, erigatur, in quo instrumenta reponantur: sub pœna &c.
19 Fabricæ, sine licentia non diruantur, siue mutentur.
20 Modulus fabricarum prius fiat, approbandus per Priorē

gene-

generalem, & Visitatores.
21 Fabricæ non fiant ex ære alieno.
22 Prælati decedentes, debita relinquentes, grauiori culpæ subiaceant.



VLLVS autem Canonicorum Ordinis nostri, cuiuscumque gradus, vel condicionis exsistat, etiam Prior generalis, ceteriq. Officiales, absque Capituli generalis licentia, audeat locum aliquem nouum accipere, aut iam accepto quoquomodo renunciare, vel de eo aliter contrectare. 1
† Si verò intra annũ aliquod Monasterium Congregationi nostræ oblatũ fuerit, quòd sine periculo vsque ad Capitulũ generale differri non possit, tunc illud acceptari posse cõcedimus, cum consensu Prioris generalis, ac Visitatorum, & quattuor Prælatorum conuentualium, qui propinquiores erunt loco, vbi Prior generalis tũc erit. 2
† Possit tamen Prælatus quilibet, cum licentia Prioris generalis, ac Visitatorum, & consensu maioris partis sui Conuentus, acceptare, & vniendum curare quodlibet beneficium sibi oblatũ pro mẽbro sui Monasterij: Possessiones verò, vineas, domos, ceteraq. huiusmodi bona immobilia, vendere, aut alienare, seu in emphytheosim perpetuam, vel ad tempus; etiã si ita concedi 3

sint solita, prætereaq. si prædicta bona in proprietate summã quinquaginta scutorum non excedant, quæ tamen ipsa nõ ad gratiam, sed meliorẽ condicionẽ offerentibus concedi volumus, dare, aut illa quoquomodo obligare, vel hypothecare audeant, seu præsumant, absque Apostolicæ Sedis licẽtia speciali. Sed nec Capitulum generale, seu conuentuale cuiusuis Monasterij, aut illorum Prælati, vel Abbates quicumque, census annuos redimibiles, ex quibus aliqua pecuniarum summa quantumuis minima percipi possit, super bonis immobilibus dictæ nostræ Congregationis in vniuersum, aut illius particularium Monasteriorum, & cum expresso consensu Conuentuum Monasterij eorundem, & prætextu facultatum hucusque ad id à Sede Apostolica obtentarum, & priuilegiorum quorumcumque: alias constitutio, & creatio dicti census, aut venditio, alienatio, concessio, seu obligatio huiusmodi, sine speciali desuper ab eadem Sede obtenta licentia, sint ipso iure, etiã prætextu facultatum, & priuilegiorum antea obtentorum, nulla, & nullius roboris, vel momenti, ac pro non factis habeantur; ac possessio exinde tradita, & acquisita nullos iuris effectus pariat, ac mera & nuda detentio censeatur, ac etiam propria auctoritate, & absque

vitio spolij, ac attentatorum, ex concessione Sanctissimi D. Gregorij XIII. Generalis, & Visitatores pro tẽpore existentes capere possint. Generalis verò, Abbates, & alij Prælati, etiam cum consensu Capituli generalis, vel sui Conuentns, qui census creare, aut prædicta bona vendere, aut alienare, aut cuiusuis generis similes cõtractus facere ausi fuerint, sint ipso iure officio, dignitate, voceq. actiua, & passiua priuati; ad quam numquam, vel nisi Sedis Apostolicæ auctoritate, restitui possint. Prælatus igitur, aut Procurator, cum aliquid vendendum, etiam ad vitam tantũ, seu permutãdum esse, pro Conuentus sui cõmodo, vel vtilitate, sibi videbitur, nil foris cũ aliquo concludat, nisi prius, in Conuentu, facta inter Canonicos deliberatione, consensum maioris partis habuerit; & tũc, si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem id tendere iudicabitur, tunc, si bona alienanda in proprietate excedant summam 50. aureorum, antequam contractus constipuletur, obtineatur per Procuratorem Ordinis à Sede Apostolica signum in euidentem vtilitatem. quo impetrato, poterit tunc stipulari cõtractus, habita à Priore generali, & Visitatore facultate: mandãtes semper pretium inuestiri. Addentes, quod in venditionibus, permutatio-

nibus,

nibus,& alienationibus,quæ vigintiquinque
ſcutatorum aureorum pretium excedunt,
5 † Prælati, ſeu Præſidentes eorũ Monaſterio-
rum,vbi venditiones,permutationes,& alie-
nationes huiuſmodi facienda erunt,aliorum
quoque duorum Prælatorum Ordinis noſtri,
qui viciniores fuerint, aut qui commodius
haberi poterunt, ſententiam requirere te-
neantur: qui quidem in rem præſentem ve-
nientes, ſi in euidentem & ipſi Conuentus il-
lius vtilitatem id cedere iudicauerint,aſſen-
ſum huiuſmodi alienationibus ſuũ præſtent:
nec aliter omnino rem ipſam tranſigi volu-
mus,atque decernimus. Eãdem quidẽ ordi-
nationẽ,ac ſtatutũ extẽdi etiã volumus,& ob-
6 ſeruari decernimus † in rebus eccleſiaſticis,
& alijs pretioſis mobilibus non alienandis;
vt ſunt libri,veſtes ſacræ, ſeu paramenta, ca-
lices,& huiuſmodi; quæ etiam in pignus da-
ri non poſſint. Talia quoque mobilia non
tranſportentur è proprijs Conuentibus ad
alios, niſi de expreſſa licentia illius Prælati,
7 & Vicarij, vnde aſportantur. † Cum autem
libri, & alia huiuſmodi, etiam alicui com-
modantur, ſemper (ſi honeſtè fieri poterit)
aliquod mutuò pignus, vel ſaltem chirogra-
phum manu propria recipientis habeatur.
8 † Et, quoniam memoria hominũ labilis eſt,

Iſte paragr. eſt de verbo ad verbũ Conſtitũtio ꝑ noſtra Cõgregatiõe Gregorij XIII. de cẽſib nõ conſtituen. & reb. non alienan. ſub dat. Romæ, die xj. Apr. Pont. ſui anno ſeptimo, Nulli licet &c.

habeatur liber, in quo de prædictis libris, & ceteris huiusmodi commodatis, aut ab alijs commodatò acceptis, mentio fiat, per illum scribendis, quem ad hoc Prælatus ipse ordinauerit. † Multò minus etiam Canonicis no- 9
stris liceat induméta, libros, & id genus alia, ad vsum sibi à Superioribus suis concessa, atque permissa, vendere, sub pœna priuationis actiuæ, ac passiuæ vocis ad triennium: Côuersi verò, atque Commisi, qui in eo deliquerint, pœnæ grauioris culpæ ad tres menses subiaceant. Ad hæc volumus, & mandamus, vt, in quibus Monasterijs quotidianæ eleemosynæ abundantes, ac largæ accipiuntur, cuiusmodi sunt Monasteria S. Saluatoris, & S. Antonij Venetijs; item S. Mariæ Annũtiatę à Vado Ferrariæ, Maioris Taurisij, Gratiarum tam Fornouij, quàm Cortonæ, Coronatæ extra Genuam, & Forisportæ Lucæ; similiter Monasteria S. Ioannis Euangelistæ, vel Brixiæ, vel in Vrbe Veteri, S. Laurentij extra muros, S. Ambrosij extra Eugubium, ac si qua sunt adhuc alia, aut in posterũ erũt Congregationis nostræ Monasteria, in quorum Ecclesijs plenariæ indulgentiæ, aut stationes perpetuæ, uel etiam pro tempore habẽtur; † in ijs, inquam, Monasterijs capsula 10
quędã duabus clauibus obsignata habeatur,

in, quá omnes pecuniæ, tam pro Miſſis, quàm pro quacumque alia eleemoſyna, tam à Sacriſtà, quàm ab alijs Canonicis, & fratribus receptæ conijciantur. Clauium autem altera penes Prælatum, penes Vicarium altera, capſula verò penes Sacriſtam ſit: nec inde eximi pecunia huiuſmodi liceat, niſi ipſi tres vnà adſint, & pecuniam numerent. Quicumque igitur acceptam pecuniam in eam capſulam (vt dictũ eſt) non coniecerint, tam Sacriſta, quàm alij Canonici, aut Prælato, ſeu Sacriſtæ conijciendam non tradiderint, ſtatim actiua, & paſsiua voce priuati intelligãtur, ac ſint: Conuerſi verò, & Commiſsi, pœnæ grauioris culpæ ad tres menſes ſubijciantur. Illud etiam, ad religionis decorum, ac puritatem retinendam, addimus, atque inuiolabiliter obſeruandum ſtatuimus, vt nullus Canonicorum, aut fratrum noſtrorum, cuiuſcumque gradus, & condicionis exſiſtat, ſub quouis quæſito colore, ac prętextu, præſumat † vllas ſecretas facere ſtillationes, vel vllum alchimiæ genus, ſub pœna ſimili priuationis actiuæ, ac paſsiuæ vocis ad trienniũ ijs, qui ſacerdotes fuerint; Canonici autem non ſacerdotes, & Conuerſi, atque Commiſſi, ad tres menſes in carcere detineantur, bis in hebdomada pane, & aqua ieiunando: quam pœnam nullus omnino, nec

ipſe

ipse quidē Prior generalis, remittere, aut di-
spensare possit. † Contractus quoque, & obli- 12
gationes per prædecessores factas nullus vllo
modo successorum rescindere, aut reuocare
præsumat, quamuis in detrimentum, & ma-
gnam iacturam Monasterij prouenirent; sed
potius vsque ad Capitulum generale differan-
tur, vel saltem ad visitationem; & tunc decla-
retur, reuocandæ ne sint, an non. † Nullus etiā 13
nec ipse fideiubeat, nec alium fideiubere in-
ducat pro aliquo, nisi tantū pro negotijs Mo-
nasterij, quæ commodè euitari non possint.
† Nec vllus etiam se in arbitros, vel amicabi- 14
les compositores, compromittere possit, nisi
de iure tantùm. † Quando autem contingit 15
aliquem petere remissionem, aut absolutionē
bonorum, quæ de iure perueniunt Monaste-
rijs nostris vigore professionis Canonicorū,
ac fratrum nostrorum, id prius proponatur in
eo Capitulo conuentuali, à quo eiusmodi re-
missio petitur; &, si in ipso obtentum fuerit,
non fiat tamen instrumentum, nisi idem per
Capitulum generale fuerit prius approbatū,
& licentia in scriptis eidem Conuentui con-
cessa. † Item volumus, & ordinamus, vt hæc 16
ipsa bona, quæ (vt dictū est) perueniunt Con-
gregationi nostræ ab intestato, vigore profes-
sionis Canonicorum, ac fratrum nostrorum,

illis

illis Monaſterijs applicentur, in quibus dicti Canonici, ac fratres petierunt ſe recipi, cum necdum Congregationem ipſam ingreſſi eſſent, etiam ſi illi ad alia Monaſteria ob aliquã cauſam in habitu ſæculari deſtinati fuerint, &
17 illic, vel alibi profeſſionẽ emiſerint.† Caueant autem Canonici noſtri, quantum fieri poteſt, ne ad forum ſæculare ipſi accedant; ſed per Procuratores ſæculares, ac ſolicitatores Monaſteriorũ, cauſas agendas curent, ne pereant.
18 † Iam verò, ad conſeruanda Monaſteriorum noſtrorum iura, ne detrimentum aliquod ex ſcripturarum defectu (quod perſæpe contingere ſolet) patiantur, decernimus, vt in ſingulis Monaſterijs Archiuum, ſeu Armarium aliquod à Prælatis erigatur, vbi ordinatè omnia inſtrumenta, ſcripturæ, & iura Monaſteriorũ ipſorum, atque locorum noſtrorum condantur. Teneãturq. ipſi Prælati, ac Procuratores, binos in Monaſterijs ſuis libros habere, alterum ex membranis, ex papyro alterum; in quorum priore omnia inſtrumenta, & contractus per ipſos factos, qui perpetuitatem, aut magnam diuturnitatẽ concernere videntur, vt ſunt emptiones, permutationes, conuentiones, pactaq. perpetua, inſtrumenta liuellaria, & huiuſmodi alia, in publicam formam, ex notariorum notis extrahẽdos, & de-

ſcriben-

ſcribendos curent, antequam ad Capitulum generale proficiſcantur: idq. ſub eadem pœna, qua ſingulis annis ratam Quindecennium portionem deponere tenentur. in altero autem, ideſt papyraceo, omnia inſtrumenta, & contractus ad tempus, quemadmodum locationes, & venditiones ad breue tempus duraturæ, & alia eiuſdem generis: de quorũ quidẽ omniũ extractione, deſcriptione & redẽptione in litteris ſocij Capituli generalis, vt de Quindecennij etiam depoſito, fidẽ fieri volumus. Quod ſi, Notariorũ culpa, aut negligentia, id ante diſceſſum ſuũ Prælati efficere non poterunt, teneantur nihilominus tantum pecuniæ in capſa Quindecennij, aut in alio idoneo loco, deponere, quãtum cum ipſis Notarijs, pro inſtrumentis huiuſmodi, & contractibus redimendis, conuenerint, reponendo vnà cum pecunia nomina Notariorum, necnon diem celebrationis inſtrumentorum, & contractuum ipſorum in ſcheda notata: &, qui in Monaſterijs ſuccedunt, inſtrumenta illa (vt dictum eſt) extrahere, deq. extractis fidẽ facere, eadem indicta pœna, teneantur. † Fa- 19
bricam quoque quamcumque Monaſteriorũ, per alium cœptam, nullus, abſque Prioris generalis, & Viſitatorum licentia, diruere, ſiue mutare præſumat. † Et ne aliquod inconue- 20
niens

niens oriatur, ordinamus, vt in singulis Conuentibus fiat quædam formula, siue modulus ipsarum fabricarum, per Priorem generalẽ, & Visitatores approbandus, quem omnes Prelati in ipsis fabricis, ac structuris sequi teneantur: nec ab eo vlla vmquam ratione discedere, sine magna necessitate, & Prioris ge-
21 neralis, ac Visitatorum licẽtia, possint. † Aduertãt nihilominus nostrorum Monasteriorum Prælati, ne in ipsis fabricis, alijsq. huiusmodi, plus exponant, quàm Monasteriorum ipsorum redditus, facultatesq. suppeditent,
22 † ita, vt monasteria debitis, æreq. alieno onerata nullo modo decedentes relinquant. Et, qui contra ea, quæ in hoc capitulo continentur, fecerint, pœnæ grauioris culpæ (nisi alia in eo propria sit constituta) subiaceant.

DE LEVI CVLPA.
Cap. XXIII.

1 Leuis culpa, quæ sit.
1 Signo dato statim ad Ecclesiãm nõ accedens, eam incurrit.
2 Legens male in choro.
3 Diuino officio non intentus, vagis oculis, vel motu irreligioso.
4 Inquietudinis aliquid faciens, in Ecclesia, dormitorio, cellis.
5 Lectionem, vel cantum, statuto tempore non prouides.

6 Legere, vel cantare præsumens aliud, quam communis approbat vsus.
7 Ridens, vel alios ridere faciens in choro.
8 Ornamenta Altaris, vel Ecclesiæ ornamenta negligenter tractans.
9 Iuramento aliquid negans, vel affirmans.
10 Sermonem turpem dicens, aut vaniloquium.
11 Hospites sine licentia alloquens.
12 Ridens dissolute, cachinnis, vel ludis, dictis, vel factis, alios ad ridendum prouocans.
13 Oculos vagos, per plateas, vel vicos eundo, ad vanitates dirigens.
14 Conuentum egrediens, & rediens, & nõ orans in Ecclesia.
15 Capitulo, seu collationi, vel refectioni, ex negligentia qui non interest.
16 Librum, in quo legendum est, si quis negligenter omittit.
17 Vtensilium aliquod qui fregerit, vel perdiderit, vel nõ reportans ad locum proprium.
18 Indumenta, sibi concessa, alteri accommodans.
19 Vestes, vel libros, sibi ad vsum concessos, statuto loco honeste non reponens, vel negligenter tractans.
20 Cibum, vel potũ, absque Superioris benedictione, sumens.
21 Lectioni, statis temporibus, qui non interest.
22 Capite detecto manẽs, cum ad Cameras, vel latrinas vadit.
23 Loquens extra Conuentum, absque licentia.
24 Reprehensus à Maiori, & non genua flectens.
25 Negligens in officijs deputatis.
26 Loquens verba otiosa, vel de mundanis, de nouis, de factis alienis.
27 Contendens, & in contentione durus.

LEVIS culpa est, si quis, vt signum datum fuerit, non mox, relictis omnibus, matura cum festinatione, & debita morum compositione, ad Ecclesiã venerit. † Si quis in choro male legendo, vel 1
2

cantando offendens, non statim se humiliãs
terram manu tetigerit, & surgens pectus suũ
3 suppercusserit.† Si quis, Diuino non intentus
Officio, vagis oculis, vel motu irreligioso,
4 leuitatem mentis ostenderit. † Si quis in Ec-
clesia, vel in dormitorio, vel in cellis, aliquid
5 inquietudinis fecerit, absque necessitate.† Si
quis lectionem, vel cantum, statuto tempore
6 non prouiderit. † Si quis legere, vel cantare
præsumpserit aliud, quàm communis appro-
7 bat vsus.† Si quis in choro riserit, vel alios ri-
8 dere fecerit.† Si quis Altaris, vel Ecclesiæ or-
9 namenta negligenter tractauerit.† Si quis cũ
iuramento (vt in loquendo minus ponderosi
homines facere solent) aliquid negauerit,
10 vel affirmauerit.† Si quis turpem sermonem
11 dixerit, aut vaniloquium.† Si quis cum hospi
tibus quibuscumque, sine licentia; nisi bre-
uiter interrogando, vel respondendo, locu-
12 tus fuerit.† Si quis, dissolutè ridens, cachin-
nis, vel ludis, dictis, vel factis, alios ad riden-
13 dũ prouocauerit.† Si quis oculos vagos, per
plateas, vel per vicos eundo, ad vanitates fre
14 quenter direxerit.† Si quis, Conuentũ egre-
diens, & cum exit, & cum redit, benedictio-
nem à Præsidente accipere neglexerit, & ad
Ecclesiã, vel eundo, vel redeundo non ierit,
15 & orauerit.† Si quis in Conuentu, ad Capitu-

lum; seu collationem, vel communem refectionem ex negligentia non interfuerit. † Si 16
liber, in quo legendum est, cuiusquam neglectu defuerit. † Si quis aliquod vtensilium 17
fregerit, vel perdiderit, vel, postquã eo vsus fuerit, nitidum, & lautum ad locum propriũ, & deputatum non reportauerit. † Si quis in- 18
dumenta, vel similia, vsui proprio concessa, sine licentia Prælati, vel Præsidentis, alteri pro suo vsu tenenda dederit. † Si quis vestes 19
etiam, vel libros, sibi ad vsum concessos, statuto loco honestè non reposuerit, vel negligenter tractauerit. † Si quis cibum, vel potũ, 20
absque Superioris benedictione, sumpserit.
† Si quis, statis temporibus, cum alijs lectionẽ 21
auditurus, nõ affuerit. † Si quis, ad Cameras, 22
vel latrinas, vadens, ibidem detecto capite manserit. † Si quis extra Conuẽtum, absque 23
licentia Prælati in genere habita, vel socij maioris, locutus fuerit. † Si quis, à Maiori suo 24
reprehensus, non statim detecto capite humiliter, postquam audiuerit, genua flexerit.
† Si quis eorum, qui in officijs deputati sunt, 25
in aliquo negligens repertus fuerit. † Si quis 26
locutus fuerit verba otiosa, vel de mundanis, de nouis occurrentibus, aut de factis alienis.
† Si quis contenderit, & affirmando durus in 27
contentione exstiterit; nec statim, secundo

admo-

admonitus, benignè, & tranquillè, & humiliter acquieuerit, sed pertinaciter litigauerit. Postulati, vel se spontè postulantes, de supradictis, & similibus, semel ad Prælati pedes vapulent, aut Psalmi, seu abstinentia, seu alia pœnitentia iisdem, prout ipsi Prælato videbitur, imponatur.

DE GRAVI CVLPA.
Cap. XXIV.

1 Grauis culpa, quæ sit.
1 Contendens inhoneste cum aliquo, eam incurrit.
2 Opprobrium alicui dicens.
3 Mendacium dicens ex deliberatione.
4 Improperans culpam satisfactam.
5 Defendens proterue culpam suam, vel alienam.
6 Minas, vel maledicta, in quemlibet proferens.
7 Indumenta alteri data, sine licentia pro alterius vsu accipiens.
8 Murmurans pro quacumque re.
9 Feminas alloquens, vel ad eas oculum frequenter dirigens.
10 Noua de vno Conuentu ad alios asportantes.
11 Asportetur nihil sine licentia de vno Conuentu ad alium.
12 Pecunias vltra diem naturalem penes se retinens.
13 Dispensans, vt Conuersi, vel Commissi litteras discant.
14 Reuertens ante terminum assignatum; vel moram trahés.
15 Eleemosyna non detur absque licentia.
16 Confessores non fiant Canonici.
17 Compromissum in scriptis non recipiant Canonici.
18 Testamentorum executores non fiant Canonici.

GRA-



RAVIS culpa est, si quis inho- 1
nestè, audientibus sæcularibus,
cum aliquo Canonicorum, &
fratrum nostrorum, vel sæcu-
lariũ, contenderit.† Si quis, ali- 2
cui eorundem opprobrium dixerit.† Si quis 3
mendacium ex deliberatione dixisse depre-
hensus fuerit. † Si quis fratri præteritam cul- 4
pam, pro qua satisfecit, improperauerit.† Si 5
quis culpam suam, vel alius fratris, tamquã
superbiens, proteruè defenderit. † Si quis in 6
quemlibet minas, vel maledicta, protulisse
deprehensus fuerit. † Si quis indumenta, vel 7
alia data fratri, sine ipsius scientia, & Prælati
licentia, pro suo, vel alius vsu acceperit. † Si 8
quis pro victu, vel vestitu, vel alia quacũque
re, animo deliberato, & proteruè, murmura-
uerit. † Si quis, procedens, vbi feminæ sunt, 9
oculum frequenter, & ex consuetudine, fixe-
rit, vel cum femina solus, nisi breuiter inter-
rogans, aut interrogatus, breuiter respondẽs
locutus fuerit. † Eandem pœnam incurrant, 10
quicumque attulerint noua de vno Conuen-
tu ad alium, præter exempla fratres ædifica-
tura, † vel aliquid inde sine Superioris licẽtia 11
asportauerint, † vel retinuerint penes se ali- 12
quam quantitatem pecuniarum vltra diem
naturalem: † item quicumque dispensaue- 13

rint, vt Conuersi, vel Cõmissi litteras discãt.
14 † Similiter omnes, qui, postquam missi fuerint quocumque, in contemptum obedientiæ, sine licentia, vel ante terminum eis assignatum, reuerti præsumpserint, vel vltra ter
15 minũ moram traxerint. † Si quis rem aliquã, etiam sub specie eleemosynæ, extra domum,
16 sine licentia dederit. † Canonici autem, &
17 fratres nostri non fiant compatres, † nec reci
18 piant compromissum in scriptis, † nec fiant exsecutores testamentorum. Qui autem contra fecerint, eandem grauis culpę pœnã incurrant. De huiusmodi, & his similibus veniam petentes, & non postulati, semel in Capitulo vapulent, & vno die pane, & aqua ieiunent: postulatis verò pœna duplicetur. Præter hæc autem, Psalmi, & veniæ, vt discreto Prælato visum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur.

DE GRAVIORI CVLPA. Cap. XXV.

1 Grauior culpa, quæ sit.
1 Inobediens Prælato, aut contendens cum eo, eã incurrit.
2 Crimen capitale, siue mortale committens.
3 Ieiunia ab Ecclesia instituta, sine causa, vel licentia, frãgẽs.
4 Obedientiam, vel potestatem Prælati defugiens.

Reue-

5 Reuelans secreta Ordinis.
6 Oblatam rem, quæ recipi prohibetur, recipiens.
7 Celans rem sibi oblatam.
7 Furtum quod dicatur, iuxta B. Augustinum.
8 Libri qui prohibeantur Canonicis.
9 Cantus, extra Conuentum, nullo modo discatur.
10 Dispensans in Libris, qui prohibentur Canonicis, vel in cantu foris discendo.
11 Spectacula visens.
12 Dispensans ad spectacula.
13 Erigens se aduersus Prælatum per constitutionem, vel coniurationem, seu malitiosam concordiam.



RAVIOR culpa est, si quis, per contumaciam, vel manifestam rebellionem, Prælato suo inobediens extiterit, aut cum eo vel extra Cõuentum, vel in Conuentu, peruersè persistens in sua duritia, contendere obstinato animo ausus fuerit. † Grauior etiam culpa est, si quis capitale, siue mortale crimen commiserit. † Si quis ieiunia ab Ecclesia instituta fregerit sine causa, vel licentia. † Si quis procurauerit, vt ipse, vel alius eximatur à potestate, vel ab obedientia Prælati sui. † Si quis secreta Ordinis reuelauerit, vel etiam facta non manifestanda, aut pandenda detexerit, siue propalauerit. † Si quis rem sibi oblatã de ijs, quæ recipi prohibentur, receperit. † Si quis rem sibi collatam celauerit, quem Beatus Pater Augustinus furti iudicio dicit esse condem- 1 2 3 4 5 6 7

8 nandum. † Siquis in libris physicis, ideſt medicis, chirurgicis, legalibus, & alijs à Conſtitutionibus noſtris non conceſsis, ſtuduerit, vel docuerit huiuſmodi libros, aut ſtudendi, vel docendi licentiam alicui Canonicorum noſtrorum dederit; vel ad diſcendũ
9 etiam conceſſa, ſicut cantum, & huiuſmodi, extra loca noſtra, etiam cum licentia, iuerit,
10 † vel in hoc alicui diſpenſauerit, aut ſibi, vel
11 alteri diſpenſandum curauerit. † Si quis ad ſpectacula, & omnia huiuſmodi, etiam ſub ſpecie ſanctitatis, ſpiritualis deuotionis, vel ſcientiæ, religioſos fratres à pace, & quiete cellarum, aut monaſteriorum, & à bono obedientiæ, atque ſtabilitatis auocantia, exiuerit,
12 etiam cum licentia, † vel alijs, vt exeant, diſpenſauerit, aut ſibi, vel alijs in hoc diſpẽſandum curauerit. De ſupradictis culpis veniã petentes, vel ſeipſos vltrò accuſantes, bis in Capitulo, duabus videlicet ſextis ferijs, vapulent, ac ijſdẽ duobus diebus pane, & aqua ieiunẽt; &, præter hæc, Pſalmi, & veniæ, quẽadmodum diſcreto Prælato viſum fuerit, pro qualitate culparum, iniungãtur. Conuictus verò, in Capitulo, ſponte ſurgat, &, veniam petendo, delictum ſuum publicè cõfiteatur, &, denudatus, ab humeris vſque ad corrigiã, (vt dignam accipiat pro ſuis demeritis ſen-

tentiam) vapulet, quantum Prælato visum fuerit cōuenire; & postea sit omnium nouissimus in Cōuentu; in refectorio quoque ad communem mensam cum ceteris nō sedeat, sed in medio refectorij, genibus flexis, super nudam humum comedat, & prouideatur ipsi seorsum panis craßior, vel secūdarius, & potus aquæ, nisi Prelatus ei aliquid aliud, ex misericordia, impenderit: nec reliquiæ prandij eius cum alijs admisceantur. Ad Canonicas quidem horas, & ad gratiarum actionē post comestionem, ante ostium Ecclesiæ, trāseuntibus fratribus, prostratus iaceat, dum intrant, & exeunt. Nullus autem se illi coniungere, aut aliquid mandare, audeat. Ne tamen in desperationem labatur is, qui huiusmodi agit pænitentiam, Prælatus mittat ad eum seniores, qui commoueant eum ad veram cordis pænitentiam, hortenturq. ad patientiam: qui, si viderint in eo humilitatē cordis, tunc totus Conuentus intercedat pro eo apud Prælatum: nec renuat Prælatus cum eo facere misericordiam. Is, quamdiu erit in hac pænitentia, non communicet, nec veniat ad osculū Pacis, nec notetur ad aliquod officium in Ecclesia, quamuis Officio Diuino interesse poterit: nec, nisi in sui accusatione, vocem habeat ante plenariam satisfa-

ctionem:

ctionem: &, si fuerit sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, ijs officijs non fungatur, nisi postea religiosè conuersatus fuerit.
13 † Eãdem pœnam incurrant, quicumque per conspirationem, vel coniurationem, seu malitiosam concordiam, aduersus Prælatum suũ manifestè se erexerint.

DE GRAVISSIMA CVLPA. Cap. XXVI.

1 Grauissima culpa, quæ sit.
1 Incorrigibilis, qui & culpas committere non timet, & pœnas ferre recusat.
2 Peccatum carnis incurrens, & conuictus.
3 Furtum committens.
4 Litteras fallaciter imitando adulterans.
5 Sigilla fallaciter imitando adulterans.
6 Sigillis adulteratis scienter vtens.
7 Prælato manus violentas inijciens.
8 Percutiens aliquem letaliter, seu grauiter, & atrociter.
9 Actus venereos committens.



1 GRAVISSIMA culpa est incorrigibilitas eius, qui & culpas committere non timet, & pœnas ferre recusat. Is, de cõsilio Discretorum, carcerali custodiæ mancipetur, & ibidem, secundum exigentiam culparum, iuxta discretionem Prælati, ieiu-

nijs, & abſtinentijs puniatur, vel, ſecundum regulam Patris Noſtri Auguſtini, (ſi magis expediens iudicabitur) etiam ſi ipſe non abſceſſerit, exſutus habitu Ordinis, de ipſius Ordinis noſtri ſocietate penitus expellatur, ne contagione peſtifera plurimos ſpirituali morte interficiat, ſi tamen vſque ad illam horam ſani capitis, & integri ſenſus exſtiterit. † Si quis (quod Deus auertat) in peccatum 2
carnis lapſus, conuictus fuerit, † vel furtum 3
commiſerit, quod ſit notabile iudicio Diſcre
torũ; † vel litteras Prioris generalis, ſeu Præ- 4
latorum conuentualium, † ſeu eorum ſigilla 5
fallaciter imitando adulterauerit; † vel ita 6
adulteratis ſcienter vſus fuerit; † vel in Præ- 7
latum ſuum manus iniecerit temerè violentas; † aut quemcumque alium letaliter, ſeu 8
etiam grauiter, & atrociter, percuſſerit; is ſimiliter carcerali cuſtodiæ mancipetur. † Si 9
quis verò actus aliquos venereos, ideſt tactus, vel oſculi impudici, ter commiſiſſe deprehenſus fuerit, & admonitus ſe corrigere neglexerit; is etiam poſſit, de conſilio Diſcretorũ, carceribus deputari; nec inde valeat liberari, niſi per generale Capitulum; vel (vbi de graui periculo, aut ſcandalo timeretur) per Priorem generalem, de conſilio etiam Diſcretorum.

DE

DE APOSTATIS.
Cap. XXVII.

1 Apostatatus, si misereatur sui, &c. potest recipi.
2 Apostatatus, quo modo potest recipi intra tempus Generalis Capituli.
3 Dimissus simpliciter ab Ordine, cum licentia, &c. possit quærere sibi religionem aliam.
4 Apostata recipiendus, quibus pœnis subiaceat.
5 Canonicis, pro pænitentibus apostatis, deprecātibus, Prælatus posit indulgere, & remittere ipsis.
6 Apostata, post pænitentiam peractam, locum teneat sub omnibus professis in Ordine.
7 Apostata, non possit eligi ad aliquem Ordinem, nisi &c.
8 Apostata iterum, non possit recipi, nisi &c.
9 Apostatā visus Conuentus, non recipiatur in aliū Conuentum, nisi &c.
10 Apostata quis intelligatur.
11 Apostata rediens ante mensem, qua pænitentia puniatur.
12 Transferens se de vno Conuentu ad alium, qua pœna puniatur.
13 Euntes ad Priorem generalem sine licentia.
14 Recedentes sponte ab Ordine, aut reiectos, post denuntiationem ab eis Ordinarijs factam, de cetero Prælati sui minime inquirere teneantur.



1 SI quis ab Ordine desciuerit, atque apostatauerit, &, misertus sui, ad Ordinē redire voluerit; si talis sit, vt de eius correctione spes habeatur, recipi poterit. † Verum, ex quo idem generale Capitulum de triennio in triennium tātummodo celebratur, hoc nimio interuallo non paruum animarum piarum periculum

Paragr. iste secūdus est de verbo ad verbū Constitutio de Apostatis pro nostra Congregatione Greg. XIII. sub Dat. Romæ, Die 20 Maij 1581

gene-

generaretur, eisdemq. occasio diutius vagādi, ac in excommunicatione insordescendi daretur, & iccirco huiusmodi obstaculum de medio tollendum, pariterq. Religiosorū ipsorum facile apostatandi licentiam, ac audaciam refrenandam esse censentes; omnibus, & pro tempore exsistentibus, Priori generali, Visitatoribus, ceterisque, ad quos huiusmodi Apostatarum receptio spectat, vel spectabit, in virtute sanctæ obediētiæ, necnō sub priuationis omnium dignitatum, & officiorum, & perpetuæ ad illa inhabilitatis pœnis, districte pręcipiendo committimus, pręcipimus, & mandamus, quatenus de cetero, si quis, malo suggerente spiritu, vel adhuc apostatā sit, vel posthac à Congregatione nostra apostatare ausus fuerit, siue Canonicus, siue Commissus, seu quocumque titulo nuncupetur. N. quamprimum de illius actionibus, & de causis, quæ illum ad apostasiām impulerint, à Priore generali, & Visitatoribus pro tempore exsistētibus legitime processus diligenter, & quamprimum fieri poterit, exacte formētur, & adseruentur; eodēm vero resipiscente, & ab apostasiæ lapsu resurgere affectante in qualibet Dieta, quæ singulis annis celebrari debet, se præsentare posit, & ab eodem Priore generali, Visitato-

ribus,

ribus, ceterisq. ibidem congregatis, recipi, & ad Congregationem admitti omnino debeat: seruata tamen in omnibus forma Constitutionum nostrarum, tam quo ad carcerationem, & priuationem, quam quo ad ceteras cuiuscũque generis contra tales inflictas, & impositas pęnitetias, & onera, quas, & quæ, sine vlla exceptione, & nulla interueniente redemptione, subire, & proferre idem præsentatus teneatur, ita, vt nullus ab ijs absolui, liberari, vel dispensari vllatenus posit; sed in casu infirmitatis tantum possint, ad tempus bene visum differri, & prorogari, statuentes insuper, ad huiusmodi temeritatem verius coercendam, vt, quicumque posthac detestabilis apostasiæ labem contraxerit, ad omnes, & quoscumque gradus, officia, & dignitates ipsius Congregationis, inhabilitatẽ eo ipso incurrat, donec, totius Capituli generalis consensu, is, qui congruam eius pænitentiam, & in ea toleranda humilitatem, laudauerit, idoneus iudicabitur: qui ad supradicta omnia habilitetur, & reintegretur, obtenta nihilominus super huiusmodi habilitate per Summũ Põtificem, & Sedem Apostolicam, dispensatione sufficienti. Decernentes præterea, vt idem præsentatus, & receptus, post pænitentias in dicta Congregatione antea

actas, & adimpletas, pro criminibus etiam cōmissis ante apostasiam, nihilominus, iuxta iuris communis formam, & alias Canonicas sanctiones, etiam puniatur, & castigetur.
† Alioquin simpliciter ab Ordine dimissus 3
cum licentia, & litteris dimissorijs, quærat sibi religionem aliam, vel locum, vbi possit animam suam è diaboli faucibus, cooperante Diuinę misericordię gratia, liberare. † Re- 4
cipiendus autem, denudatus, ab humeris, vsque ad corrigiam, Canonicis in loco Capituli congregatis, ipse in Capitulo, cum virgis in manu, & prostratus, in mediū culpam suam dicat, & humilis veniam petat: post hæc ad iussum Prælati erectus vapulet ad pedes eius, & omnium aliorum Canonicorum, quātum ipsi Prælato placuerit. Præter hæc, per integrum annum singulis septimanis semel, videlicet quando fit Capitulū de culpis, nudatus, supradicto modo, se in Capitulum repræsentet, prout Prælato videbitur verberandus, & pœnam grauioris culpæ agat, quādiu Prælato visum fuerit. Om- 5
nibus tamen Canonicis pro huiusmodi pænitentibus humiliter in Capitulo deprecantibus, Prælatus, cum eorū pænitentiam perspexerit, ipsis indulgere, vel remittere poterit, plus, minusue, prout ipsi pro sua discre-

tione

6 tione placitum fuerit. † Peracta verò pænitentia, nihilominus de ceterò locum teneat
sub omnibus illis, qui profeſsi fuerant in Ordine, antequàm ipſe poſt apoſtaſiam ad Ordinem redierit, de quo loco nūmquam poſ-
7 ſit alicui diſpenſari. Is quoque de cetero nō fiat Prælatus Monaſterij, nec Definitor Capituli generalis, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur, niſi per Capitulum generale ei fuerit in partem, vel in totum diſpenſatum: quæ tamen diſpenſatio fieri non poſsit, niſi poſt triennium ab eius reditu cō-
8 pletum. † Si quis autem iterum apoſtatauerit, is denuò recipi non poſsit omnino, niſi iuxta morem Ordinis, id eſt pœna carceris ad
9 ſex menſes adiecta. † Porrò apoſtatæ vnius Conuentus non recipiantur in alium Conuentum abſque Prioris generalis licētia ſpe-
10 ciali. † Apoſtata autem intelligitur, quicumque, abſque licentia ſui Prælati, vel Præſidentis, è ſuo Conuentu receſſerit, & per menſem extra vel cum habitu, vel ſine habitu manſerit; aut, ſi ad tempus licentiam ſe ad aliam religionem transferendi æqualem, vel etiam artiorem habuerit, &, vltra terminum in licentia appoſitum, ſimiliter per menſem tar-
11 dauerit. † Si verò ante menſem redierit, nihilominus prædictā pænitentiā agat: tametſi

Quia apoſtatauerit, erit inhabilis, vt dictū eſt ſupra §. 2. nō habilitaē niſi poſt triennium ſecundū ſupradictā formā.

Secundo Apoſtatās cōdēnetur carceri ad ſex menſes, vt ſup. §. 2. nec poſsit diſpēſari.

poterit secum in totum, vel in partẽ per Capitulum generale dispensari.† Qui autem sine licentia ab vno Conuentu ad aliũ se transtulerit, illicò voce actiua, & passiua priuetur, & carceri ad duos menses mancipetur: 12
vnde etiam postea eductus locum teneat sub omnibus professis vsque ad determinationẽ Capituli generalis. † Hanc eandem pœnam incurrat, quisquis ad Priorem generalem, absque eius, aut Superioris sui licentia, seu mandato, iter arripere ausus fuerit: à qua pœna dispensari minimè possit.† Sponte autem ab Ordine recedentes, aut reiectos, post denuntiationem ab eis Ordinarijs factam, de cetero Prælati sui minimè inquirere teneantur. 13 14

Non dispẽsat hæc eadem pœna euntium ad Priorem generalẽ sine licentia. & infr. ca. 33. §. 2.

DE CAPITVLO QVOTIDIANO. Cap. XXIIX.

1 Capitulum quotidianum, quando, & quo ordine haberi debet.
2 Prælatus adspergat omnes aqua benedicta.
3 Salutatio Angelica quando dicenda.
4 Oratio prò anima S.D.N. Iulij II.
5 Veniam petant fratres.
6 Venia non petita, quæ pœna.
7 Capitulum de culpis, singulis septimanis.
8 Benedictio Prælati, & Miserere in singulis sextis ferijs sero ad benedictionem pro indulgentia plenaria in morte.

Com-

9 Commendatio mortuorum, & viuorum.
10 Prælatus commonefaciat singulis sextis ferijs ad benedictionem.
11. & 12 Modus celebrandi Capitulum de culpis.
13 Culpæ commissæ, pro quibus in Constitutionibus non assignatur pœna, à discretione Prælati puniuntur.
14 Pœnæ iniungantur à Prælato cum mansuetudine.
15 Dispensare non possint Prælati, & Præsidentes in quibus.
16 Prælati dispensantes in ijs, quæ ijs prohibita sunt, puniantur.
17 Prælatus in quibus possit dispẽsare, & cum quo consensu.
18 Culpæ, de quibus se accusare debent fratres.
19 Capitulum de culpis, bis saltem in mense; & pœna contrafacientibus Capitulis.



1 SINGVLIS diebus, dicto Completorio, pulsatoq; ad silentium, vadant fratres omnes in Oratorio fratrum ad priuatam, & secretam orationem: in qua vnusquisque, vitam propriam examinando, si quid in seipso reprehensibile repererit, dolens de præterito, proponésq. satisfacere, & cauere in futurũ, defectus suos, dissimulando, non patiatur transire impunitos; sed, quæ non possunt quacumque de causa corrigi publica pænitentia, ea studeat priuata, & secreta punitione curare.
2 Prælatus verò, elapsa media, vel quarta parte horæ, prout sic, vel aliter sibi expediens, siue conueniens esse visum fuerit, ipse, vel alius, cui ipse commiserit, adspergat omnes aqua

benedicta, dicendo, Adſperges me Domine, & cetera : cum Verſu, & Oratione, ſicut fit mane in die Dominico ante Miſſam conuentualem, & dicto Salue Regina miſericordiæ, & cetera, ſubiungat Prælatus, Conuentu ordine reſpondente, ſic :

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur ꝑmiſsionib⁹ Chriſti.

Oratio. Oremus.

Interueniat pro nobis, & cetera : & aliam Orationem coniunctim, ideſt :

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, vt, quos vno pane cæleſti ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecū viuit, & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Dictoq. à fratribus Benedicite, det eis benedictionem Prælatus dicens, Nos cum prole pia benedicat virgo Maria. † Deinde Angelica Salutatio Beatę Virginis ter ſecretò per- 3
ſoluatur : † poſtquam ſtatim pro anima San- 4
ctiſsimi Domini Noſtri piæ mem. Iulij Secundi, iuxta conſuetudinem iam inde ab eius obitu introductam, & ab omnibus noſtri Ordinis piè, concorditer, ac perpetuò obſeruatam, cum propter quamplurima præclariſ-

ſimi

ſimi illius Pontificis in vniuerſam Congregationem noſtram merita, tum maximè propter ſingulare, atque ampliſsimum priuilegium ab eodem (vt initio latius in harum Conſtitutionum Procemio dictum eſt) ſponte, gratisq. Ordini noſtro conceſſum, tunc demum etiam à Sãctiſsimo Domino Noſtro Papa Paulo Tertio cõfirmatum, dicatur ordine, quo ſupra, De profundis, cum Requiẽ æternam in fine, & poſtmodum:

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oratio. Oremus.

Da nobis quæſumus, Domine, vt animam famuli tui Iulij, Summi Pontificis, quam de huius ſæculi eduxiſti laborioſo certamine, ſanctorum tuorum cœtui tribuas eſſe cõſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

5 † Si quis autem fratrum ſe in aliquo deliquiſſe recordatus fuerit, genibus flexis poterit, culpam ſuam recognoſcendo, veniam petere: cui à Prælato, prout expediens ipſi viſum fuerit, pænitentia iniungatur.

6 † Quod ſi acciderit, aliquem ex legitima cauſa huiuſmodi benedictioni non interfuiſſe, abſque ipſa à Prælato, ſeu Vicario humiliter, ac deuotè ſuſcepta, dormitũ nullatenus ire ſe pa-

tiatur.

Capitulum de culpis singulis septimanis, & sup. cap. 27. §. 3.

tiatur. † Præter hæc nihilominus qualibet se- 7
ptimana semel, videlicet sexta feria, vel alio
die, prout conuenientius fieri poterit, habea-
tur Capitulũ de culpis eadem hora, vel alia:
in quo, vt supra, dicto à fratribus Benedicite,
& † data à Prælato benedictione ; Nos cum 8
prole pia benedicat virgo Maria, pro plena-
ria indulgentia, cuilibet nostri Ordinis à Se-
de Apostolica in articulo mortis indulta, di-
catur continuo à Conuentu alternatim Psal-
mus Miserere mei Deus, cum Gloria patri in
fine voce submissa : † postmodum fiat com- 9
mendatio mortuorum, & viuorum : eodem
modo, ac ordine, dicendo pro mortuis qui-
dem Psalmum De profundis, sub antiphona
Si iniquitates, eandemq. in fine Psalmi repe-
tendo, ac subiũgendo Kyrie eleison, Chri-
ste eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oratio. Oremus.
Absolue, quæsimus, Domine, animas famu-

lorum tuorum fratrum nostrorum; & animas famulorum, famularumq. tuarum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, & omnium fidelium defunctorũ ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominũ nost. ℟. Amen. Pro viuis autem Psalmũ, Ad te leuaui oculos meos, cum Gloria Patri, & cetera: postea rursum Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oratio. Oremus. Prætende, Domine, famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij; vt te toto corde perquirant, &, quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

10 † Poterit præterea tũc Prælatus dicere, si qua viderit ad honestatem Ordinis, & correctio-
11 nem fratrum, esse dicenda. † Postea idem dicat, Omnes petant veniam: statimq. omnes

pro-

prosternant se, suam culpam confitentes. † deinde ad iussum ipsius Prælati alijs seden 12
tibus, genua flectant nouitij clerici, necnon Conuersi, & Commissi, tam nouitij, quàm professi, & humiliter in publico confiteantur culpas suas: qui, pœnitentia sibi iniuncta à Prælato, statim egrediantur Capitulum. Deinde Canonici professi, singuli, genibus flexis, incipiendo à choro dextro, similiter suam culpam confiteantur: † quibus, secun- 13
dum qualitatem culparum, pœnitentia à Prælato, iuxta eius discretionem, iniungatur, præsertim pro ijs excessibus, pro quibus non est taxata pœna in Constitutionibus:† in 14
ceteris verò, quantũ fragilitas humana permiserit, mensura pœnarum in his Constitutionibus taxatarum seruetur, cum omni & Prælati iudicis mansuetudine, & subditi rei patientia: † ita, vt super culpis in his Consti 15
tutionibus taxatis, præsertim super ijs, quæ in capitulo De graui, De grauiore, & De grauissima culpa, & De apostatis continentur, omnino Prælatis, ac Præsidẽtibus sit subtracta dispensandi facultas: † contra quod 16
facientes, eadem pœna ipsi, visitationis tempore, puniantur. † Si tamen, ad honorẽ Dei, 17
& animarum salutem, Prælato videbitur super tribus primis capitulis aliqua ex parte

esse dispensandum, id quidem poterit, sed cum consensu Vicarij sui, & duorum Canonicorum antiquiorum sui Cõuentus, vel maioris partis eorum trium, non aliter: & hoc in partem tantum, (vt dictum est) & non in totũ
18 sibi cognoscat esse concessum. † Non sunt tamen propterea occulta cordium pandẽda cogitata, nec etiã alia occulta peccata, præsertim ea, quæ sine scandalo proximi detegi nequeunt, quæ quidem solis Sacerdotibus in sacramentali cõfessione sunt reuelanda: verum ea tantum (sicut dictum est) publicè sunt accusanda, quæ præceptis obuiant publicis, & fratribus peccandi præbent exempla. In fine omnium dicat Prælatus, aut Præsidens, Adiutorium nostrum, & cetera, vt ante: & sic
19 finiatur Capitulum. † Quòd si Prelati bis saltem in mense non tenuerint huiusmodi Capitulum de culpis, subiaceant pœnæ infrascriptæ, scilicet, vt, quoties illud omiserint, ieiunent vno die, nihil comedentes, nisi panem, & bibẽtes vinum, in communi refectione, ita palàm, vt videantur: quam pœnitentiam si non fecerint, tempore Visitationis toties pane, & aqua ieiunent, quoties eam intermiserint.

DE INSTITVTIONE ABBATVM, Præpositorũ, & Priorũ cõuẽtualiũ, eorũq. Vicariorũ: & de aßignatione Sociorũ eorundem Prælatorum euntium ad Capitulũ generale. Cap. XXIX.

1 Abbates, Præpositi, & Priores, cõuentuales, eorumq. Vicarij vbi eligendi.
2 Abbates, Præpositi, & Priores conuentuales, eorumq. Vicarij, si intra annum moriuntur, aut amoueantur, quid agendum.
3 Abbates, Præpositi, & Priores conuentuales, eorumq. Vicarij, tertio quoque anno ad Capitulum generale accedunt.
4 Canonici, qui electioni interesse poßint.
5 Canonici profeßi, in quibus Capitulis conuentualibus interesse poßint.
6 Abſentibus intimetur electio.
7 Mutationes non fiant tempore electionis.
8 Diſcreti electio, quando, & quo modo.
9 Litteræ teſtimoniales dentur Diſcreto.
10 Definitores curent, vt ſint Canonici in Monaſterijs, habiles ad electionem Diſcreti.



BBATES, Præpoſiti, & Priores conuentuales, eorumq. Vicarij in Capitulo noſtro generali eligantur, diſponantur, & conſtituãtur annuatim per ſingula monaſteria noſtræ Congregationis à Priore generali, & Definitoribus eiuſdem Capituli.† Si verò intra annum eoſdem Prælatos, aut Vicarios mori, ſeu amoueri con- 1 2

tigerit,

tigerit, ab eodem Priore generali cum quattuor, vel saltem duobus Visitatoribus possint eligi, dummodo tres eorum consentiant, & non pauciores, vt in priuilegio Ordini nostro à Sãctæ memoriæ domino Papa Paulo II.
3 concesso plenius continetur: † qui videlicet Abbates, Præpositi, & Priores conuentuales (vt præfertur) assumpti, & constituti, tertio quoque anno teneantur, tempore constituto, ad Capitulum generale accedere, vnà
4 cum socio sibi à suo Cõuentu asignato: † in qua quidem asignatione omnes Canonicos sacerdotes tantùm conuentuales, ibidem ordinariè asignatos, vocem habere volumus, modo, & forma, quibus infra declarabitur; ijs tamen exceptis, qui se ad Congregationẽ nostram contulerunt in sacerdotio constituti, quos vocem in huiusmodi electione, nisi post triennium ab emissa profesione, habe-
5 re non posse decernimus. † In reliquis autem electionibus, tractatibus, & negotijs, vocem habere volumus omnes Canonicos, & clericos expresè professos, tam in suis Conuentibus, quàm alibi, vbicumque se repererint.
6 † Si quos tamen sacerdotes alicuius Cõuentus tempore asignandi socij Prælati conuẽtualis intra spatium itineris vnius diei à suo Conuentu abesse contigerit, teneantur alij

sacerdotes, diem, quo ad assignationem huiusmodi procedere intendunt, notificando, eos vocare: qui, si die statutò sic vocati non venerint, nihilominus (sicut dictum est) per eosdem, qui præsentes existũt, assignatio celebretur. † Cum autem assignationes sociorũ 7
prædictorum maximè sinceræ, & liberæ esse debeant, & omni nota coactionis carere, nolumus intra mensem, ante assignationem huiusmodi, nouas fieri Canonicorum nostrorũ mutationes, neque per Priorem generalem, neque per alium quemcumque, (præterquã ob graue scandalum euitandum) nisi in Capitulo generali præcedente id fuerit ordinatum. Quòd si secus factum fuerit, nullum inde sortiantur effectum tales mutationes, ita, vt tempore prædicto in locis ipsis, vbi faciendæ huiusmodi sociorum assignationes sunt, nec sic amoti voce careant, nec sic assignati vocem habeant. † Instante ergo tempore as- 8
signandi socium Abbatis, vel Præpositi, vel Prioris conuentualis, videlicet per quattuor dies, vel circa ante eius professionem ad Capitulum, singuli Prælati in suis Conuentibus ad sonum claustralis campanulæ congregẽt Capitulum, ad quod omnes conueniant: & inuocata gratia Spiritus sancti, more cõsueto, per hymnum Veni creator Spiritus, cum

℣. Emitte spiritum tuum, & creabitur.
℟. Et renouabis faciem terræ. Oratio. Deus, qui corda fidelium, & cetera: exeant omnes, qui non sunt de corpore Capituli, &, remanente Prælato cum omnibus sacerdotibus, procedatur ad electionem, hoc modo. Habeantur duæ Pyxides, seu duo buxola, super mēsa, ad hoc parata, in quorum vno sint nomina omnium sacerdotum diuisim in paruis schedulis scripta, in altero verò sint tot sphærulæ, siue suffragia parua, rotunda, æqualia, ac prorsus similia, quot sacerdotes ipsi electioni interueniunt: inter quas tamen sphærulas sit vna tantum aurata, seu cruce, vel aliquo diuerso ab alijs colore signata. Tunc, sedente Prælato, ad præfatam mensam, & sacerdotibus in locis suis, vnus ex ipso collegio, cui iussum fuerit, accedens ad buxolum schedularum, purè, & simpliciter extrahat vnam ex illis, legatque, & qui in ea scriptus, ac nominatus fuerit, surgat reuerenter, & accedens ad buxolum sphærularum, eodem modo purè, & simpliciter extrahat vnam ex illis; quæ si non erit illa aurata, seu cruce, vel diuerso ab alijs colore signata, deposita ea ante Prælatum, ad locum suum reuertatur: & sic deinceps modo prædicto procedatur, donec illa, quæ sola inter cete-

ras aurata, vt diximus, seu cruce, vel diuerso colore signata est, ab aliquo extrahatur: & qui, Deo permittẽte, hanc ipsam ab alijs dissimilem sphærulam extraxerit, sit socius, & pro socio Abbatis, seu Præpositi, seu Prioris euntis ad Capitulum generale, ab omnibus habeatur, & tũ confirmetur ab omnibus, dicentibus, Nos ipsum confirmamus. Ipse verò sic electus genibus flexis accipiat benedictionem ab ipso Prælato, qui tunc imponat Vicario, vel alicui alij, quem idoneũ ad hoc iudicauerit, † vt scribat litteras testimoniales, more, & forma debita, & consueta. † Curent autem Definitores, tempore Capituli generalis, in ordinatione Conuentuum, tot Canonicos ad huiusmodi electionem habiles in singulis monasterijs assignare, vt ritè, & secundum ordinem fieri electio socij huiusmodi possit.

9 10

DE OFFICIO ABBATVM, Præpositorum, & Priorum cõuentualiũ, aliorũq. Officialium. Cap. XXX.

1 Prælati qui sint, in Congregatione Nostra.
2 Conuentuales Prælatis manus osculentur.
3 Prælati benedicant Conuentuales.
4 Prælati omnia mature, & discrete moderentur, disponant,

& ordi-

& ordinare procurent.
5 Prælatorum munus.
6 Prælatus sit prudens in dispensando.
7 Prælatus ordinet suum Monasterium.
8 Depositarij, Procuratoris, & Oeconomi instituto.
9 Vicariorum cura principalis.
10 Vicarius Conuentus vices gerat Prælati, absentis, vel mortui.
11 Vicarius obseruet instituta, & ordinata per Priorem generalem, aut per Prælatum conuentualem, sub pœna &c.
12 Prelatus conuentualis, absente Vicario, potest constituere Præsidentem.
13 Officiales nihil propria auctoritate agant, sed &c.
14 Officiales omnes de suis cōputis tenentur reddere rationē.
15 Canonici duo Conuentuales eligantur pro videndis introitibus, & exitis.
16 Introitus, & exitus ad quos mittendi.
17 Libri accepti, & expensi, vbi debeant teneri.
18 Libri accepti, & expensi non committantur hominibus sæcularibus.
19 Prælati quando intelligantur ab officijs absoluti.
20 Practicæ prohibentur.
21 Quindecennij portio singulis annis persoluatur. sub pœna &c.
22 Quindecennij capsula, quot clauibus.
23 Quindecennij pecunia nullo modo possit amoueri. sub pœna &c.



CELEBRATA itaque electione Abbatum, Præpositorum, & Priorum conuentualium per Priorem generalē, & Definitores, vt supra dictū est; eaq. publicata in scriptis, vt moris est;
1 † illi intelligantur, & sint veri Abbates, Præpositi, & Priores, tamquam confirmati à Sede

Apo-

Apostolica, & pro legitimis Abbatibus, Præpositis, & Prioribus illorum Conuentuum, vbi assignati sunt, ab omnibus habeantur: ac etiam titulis Monasteriorum, quibus præsunt, idest (vt diximus) Abbates, Præpositi, & Priores vocentur, prout etiam, qui monasterijs illis, antequam Congregationi nostræ essent vnita, præerant, vocabantur: prout priuilegio fel. record. Xysti Quarti Papæ etiam
Ordini nostro concessum est: † quibus, sta- 2
tim post eandem publicationem, & sigillorũ officiorum suorum receptionem, in signum obedientiæ, & subiectionis, omnes sui conuentuales, qui præsentes ibidẽ se repererint,
flexis genibus manum osculẽtur: † quos ipsi 3
benignè, vt filios, suscipientes benedicant: idem etiam faciant omnes alij eorum cõuentuales, cum ad suos Conuentus peruenerint: sicq; ijsdem Prælatis obedientia, affectio, & deuotio, tamquam Patribus à Deo constitutis, ab omnibus exhibeatur, qui Deo rationẽ
de omnibus sibi subditis reddituri sunt. † Prę- 4
lati autem huiusmodi conuentuales, postquam (sicut pręfertur) publicati fuerint, & ad eorum Conuentus applicuerint, omnia maturè, & discretè moderando, ita prudenter disponere, & ordinare procurent, vt de sua promotione Diuinus honor, ac religionis

profe-

profectus valeat resultare: &, iuxta Saluato-
ris nostri exemplum, prius studeant facere, &
postea docere, non se existimando (vt S. Pa-
ter noster Augustinus præcipit) potestate do
5 minante, sed caritate seruiẽte, felices. † Ideò
satagere debent Regulæ, & Constitutionum
harum, ac Ordinarijs Ecclesiæ, vt ea, iuxta
humanam possibilitatem, & ipsi obseruent,
& ab alijs obseruanda curent, ita, vt religio-
nis vigor, & obseruantia regularis, (quãtum
in ipsis est) potius augeatur, quàm minuatur.
6 Quare volumus, & mãdamus, vt nullus Præ-
latus, siue Præsidens Monasterij valeat has
Constitutiones dispensare in ijs, in quibus
dispensandi, harum ipsarum Cõstitutionum
serie, facultatem sibi sublatam esse cogno-
scit: in ijs etiam, in quibus dispensandi eidẽ
potestas concessa est, ita prudẽter, & discre-
tè se habeat, vt dissolutionis, ac relaxationis
vitio minimè valeat accusari, & Capituli ge
neralis, aut Visitationis tempore meritò ca-
7 stigari. † Studeat præterea Prælatus conuen-
tualis, postquam ad suum Conuentum appli
cuerit, habito prius colloquio, & consilio cũ
Vicario sui Conuentus, quantò citius fieri po
terit, distribuere officia domus, & præsertim
cõstituere Procuratorẽ, & Sacristam, aliosq.
officiales, vel ante constitutos confirmare,

Iste paragr. octauus est de verbo ad verbũ Cõstitutio Pij V. ad N. Congregationẽ sub dat. Ro. apud S.Pet. die 6. Dec. 1571. Inter ceteras. Cõfirmat ista Const. à Sixto V. p aliã suã Cõstitutionẽ, Ex varietate temporũ, sub datũ Romę, in Mõte Quirinali, die 23. Augusti 1589.

prout ei ad Dei honorem, & sui Conuentus
profectũ, visum fuerit expedire. Ac, vt res, 8
& bona temporalia Congregationis prædictæ, ipsiusq. Monasteriorum, & locorum huiusmodi, non solum conseruẽtur, verum etiã augeantur, in vno quoque cõuentu tres probi Canonici per Prælatũ conuentualem eligendi constituantur, quorum vnus Depositarius, alter Procurator, reliquus Oeconomus exsistat, ita, vt Procurator pecunias omnes Monasterij capiat, easq. deinceps Depositario tradat, & asseruandas committat. Depositarius verò illas in ærarium, siue arcam ad hoc destinatam reponat, & Oeconomo, vbi opus fuerit, de expresso Prælati mãdato, præbeat. Oeconomus autẽ acceptas (vt præfertur) pecunias, pro communibus Monasterij vsibus, ac necessitatibus, & prout Prælatus iusserit, fideliter eroget, ac expendat: dictaq. arca duabus sit clauibus munita, quarũ altera penes Prælatũ, altera verò penes Depositariũ custodiatur; arca verò, vbi tutus apud Depositarium locus non exsistat, apud Prælatum tutiore in loco statuatur, & quàm diligentissime asseruetur: præfatiq. Procurator, Depositarius, & Oeconomus, vno quoque mense, collatis inuicem ratiocinijs, Prælato, astantibus duobus alijs Monasterij discretis

Canonicis, eligendis ab ipso Prælato, rationem, pro suo quisque officio, accuratè reddere teneãtur, sub pœna illis Prælati arbitrio imponenda, ipsis verò Prælatis priuationis officij sui, si id facere neglexerint, hac in perpetuum valitura lege statuimus, & ordinamus.
9 † Vicarij autem officium erit, diligentem habere curam, & vigilem sollicitudinem circa Conuentum, & audientiam confessionum, aliaq. seu temporalia, seu spiritualia, & huiusmodi, prout Prælatus ordinauerit: in quibus tantam habeat auctoritatem, quantam ei Prælatus ipse dederit, aut concesserit, & non maiorem. Studium igitur Vicarij erit, die, noctuq. assiduè Diuinis interesse officijs, & alijs ordinationibus domus, zelatoremq. esse regularis obseruãtiæ, vt prius exemplo, postea verbis, ad id alios audacter
10 valeat prouocare. Prælato verò ad Capitulum generale proficiscente, vel aliter absente, aut etiã mortuo, & huiusmodi, Vicarius illius Conuentus harũ auctoritate vices eius in omnibus plenè gerat, nisi per Priorem generalem, aut Prælatum ipsum conuentualẽ, in specie, vel in genere aliter fuerit ordina-
11 tum. † Obseruare nihilominus non negligat ipse Vicarius, vel alius eius vices gerens, humiliter, & deuotè omnia instituta, & ordi-

nata per ipſum Priorem generalem, aut per Prælatum conuentualem: ne, ſi facile eorum inſtituta immutet, leuitatis crimine, aut inobedientiæ, valeat notari, & iuxta eius demerita iure puniri, vel etiam, ſuis exigentibus culpis, per ipſum Priorem generalem à ſuo officio ſuſpendi, aut omnino amoueri, & alius loco ipſius meritò ſubrogari. † Si autem 12
domus, aut Conuentus, quacumque de cauſa, Prælatum, vel Vicarium ſuum præſentem non habuerit, nec Prior generalis, aut Prælatus conuentualis, aliter ſuper hoc ordinauerit; tunc antiquior illius Conuentus in ſacerdotio conſtitutus vices Prælati obtineat ſupradictas, quouſque Conuentus ipſe Prælatum, vel Vicarium præſentem habuerit.
† Inſtituti igitur in ſupra memoratis officiis 13
nihil propria auctoritate agant, vel incipere præſumant, neque ſpirituale, neque temporale, abſque ſuorum licentia Prælatorum, ad quos, tamquam ad caput, omnia referenda cenſemus, vt eorum conſilio, & auctoritate, omnia peragantur. † Teneantur itaque præ 14
ceteris Procuratores, & Sacriſtæ, ſemel in menſe de omnibus introitibus, & exitibus officiorum ſuorum Prelatis ſuis rationem reddere, vel ſaltem ſe ad id faciendum iiſdem paratos offerre: quam rationem Prælati ipſi

videre,

videre, ac supputare, & in libris dictorū Officialium se subscribere teneātur, nisi aliqua
15 rationabili causa fuerint præpediti. † Icircò, pro supplenda negligentia tam Prælatorum, quàm Officialium huiusmodi, & pro conseruatione bonorum Monasteriorum, ac resecatione expensarum superfluarum, quæ in ipsis Monasterijs fieri fortasse contingere posset, statuimus, & ordinamus, vt annuatim in singulis Conuentibus ante Dominicā tertiam Quadragesimæ duo ex Canonicis conuentualibus, ipsis Prȩlato, & Procuratore exclusis, in Capitulo à Conuentu eligātur, qui prudenter videre habeant omnes introitus, & exitus Monasterij, expensasque, ac debita
16 per illos facta diligenter examinare: & † ea omnia ritè perspecta, & per ordinem bene discussa, ac in scriptis redacta, sigilloq. Conuentus munita, fideliter per socium Prælati, ad Capitulum generale euntem, Priori generali, ceterisq. Definitoribus, aut ab eis super
17 hoc deputatis, studeāt destinare. † In quo tamen declaramus, ac volumus, vt libri accepti, & expensi in loco solito, dum huiusmodi compti fiunt, retineantur, non autem in Rationariorum manibus vbicumque dimittantur. Nec minus, qui sumptus Monasterij fecerit, vel qui rationum libros conscripserit,

siue Prælatus, siue Procurator is fuerit, ipse
interim presens assistere (si velit) possit.† Ne- 18
mo autem huiusmodi libros, & computos,
hominibus sæcularibus, vel etiam à nostra
Congregatione alienis, cognoscẽdos, atque
inspiciẽdos, vllo modo committere audeat:
si quis verò commisisse deprehẽsus fuerit, sit
actiua, & passiua voce per integrum annum
priuatus.† Porrò Abbates, Præpositi, & Prio- 19
res cõuentuales semper singulis annis ab of-
ficio suarum Abbatiarum, Præpositurarum,
ac Prioratuum, intelligantur absoluti vltima
die Capituli generalis, (nisi per Priorem ge-
neralem, & Definitores Capituli, fuerit de-
terminatum, approbatum, & confirmatum,
ipsos in prædictarum Prælaturarum officio
diutius permanere) etiam si ipsi annum sua-
rum Prælaturarum non expleuerint.† Verũ, 20
vt electiones huiusmodi, in Conuentibus no
stris, & etiam in generali Capitulo faciẽdæ,
non hominum voluntate, sed Diuina inspi-
ratione, celebrentur, prohibemus, districtè
mandantes, ne quis Canonicorum, aut fra-
trum nostrorum aliquã practicam, sub quo-
uis quæsito colore, facere possit, aut præsu-
mat: contra quod si quis temerè aliquid au-
sus fuerit attentare, pœnæ grauis culpæ sub-
iaceat, & voce actiua, & passiua priuatum se

per

21 per integrum annum esse cognoscat. † Eandem etiam pœnam incurrāt Prælati illorum Conuentuum, qui ad quindecennium exsoluendum sunt obligati, si annis singulis portionem pro rata sibi cōtingente in capsulam ad hoc deputatam non reposuerint: de quo etiam fidem in litteris sociorum ipsorum ad
22 Capitulum venientium fieri volumus. † Huius autem capsulæ, tres inter se diuersæ habeantur claues: quarum vna penes Prælatū, altera penes Procuratorem, tertia penes Sa-
23 cristam recondatur. † nec inde posśit huiusmodi pecunia ab alijs Prælatis ante reposita extrahi, aut amoueri: nec tres illi sibi inuicem pro ea extrahenda consentire valeāt: nec ipsi Prælato in hoc obedire reliqui duo teneantur, nisi aliquando legitima vrgente causa: tunc enim ipsam pecuniam pro vsibus Conuentus necessarijs Prælatus extrahat licebit, ea tamen condicione, vt eandem summam, vnà cum rata sui anni portione, eodem, vnde abstulerat, reponat, antequam ad Capitulum generale proficiscatur: deq. eo fides similiter in litteris socij fiat. Et, si contra pręsentem prohibitionem quisquam facere ausus fuerit, vel aliquid attētare pręsumpserit, priuatus iam tunc per triennium voce actiua, & pasśiua exsistat; & pœnam

grauioris culpæ, arbitrio Prioris generalis, & Visitatorum, ferre teneatur.

DE CAPITVLO GENERALI: & de electione Prioris generalis, & Visitatorum, ac Substituti. Cap. XXXI.

1 Capitulum generale quolibet triennio celebretur.
2 Capitulum generale prorogari non posit, nisi &c.
3 Capitulum generale repræsentat omnem Congregationē.
4 Capitulo generali omnes subiecti esse debent.
5 Capituli generalis Visitationi, & correctioni, omnes sint subiecti.
6 Capitulum generale nemo adire potest, nisi &c.
7 Tempus conueniendi ad Capitulum.
8 Litteræ assignationis cuiusque legantur in Capitulo generali.
9 Quindecennij portio si non posita sit in capsula, puniantur Prælati illorum Conuentuum.
10 Priuandus si quis est, quacumque de causa, quæratur in Capitulo generali.
11 Prior generalis renuntiet officio suo.
12 Prioris generalis locus, toto Capituli tempore.
13 Prior generalis absolutus ab officio quando intelligatur.
14 Prioris generalis vacantia per sexennium.
15 Prioris generalis eligendi modus, & forma.
16 Generalatus habet Sigillum.
17 Prior generalis, est totius Congregationis caput, cum maxima auctoritate. & eius confirmatio est eius electio cū suo consensu.
18 Priore generali electo, pulsentur campanæ, & Cantores cantent.
19 Priori generali omnes manus osculentur, & ipse eos benedicat.

Visita-

20 Visitatores quattuor eligantur.
21 Visitator anni præcedentis si eligatur in Priorem generalẽ, quis substituendus.
22 Visitatoris substituti electio.
23 Capituli generalis Definitorium.
24 Substitutus loco Prioris generalis ad quæ officia posit eligi.
25 Definitoribus occupatis, qui curare debeant res Diuinas.
26 Prior generalis, renuntiaturus, conficiat tabulam indicem officiorum ecclesiasticorum.
27 Conuẽtus, aut Dieta, quotãnis in loco cõmodo habeatur.

1 CAPITVLVM quidem generale quolibet triennio celebretur feria secunda post Dominicã tertiam à Resurrectione Domini: idq. pro commoditate Canonicorum nostrorum ad ipsum Capitulum veniẽtium, præsertim eorum, qui longius absunt, vt Neapoli, Romæ,
2 Genuæ: † quod Capitulum vltrà octo dierũ spatium prorogari nõ liceat, ob causam necessariam Prælato maiori, & Definitoribus videatur per vnũ, vel duos, vel tres dies, vel quotquot opus fuerit vlterius illud esse prorogandum: quod tamen facere illi nequeat sine consensu maioris partis eiusdem Capi-
3 tuli generalis. † Capitulum autem generale dicimus, seu nominamus Priorem generalẽ Ordinis, & Visitatores, singulosq. Abbates, Præpositos, ac Priores cõuentuales, cum sin-

gulis socijs, secundum formam in capitulo De assignatione sociorum Prælatorum conuentualium positam electis, ac Procuratorē generalem Ordinis: † cuius quidem Capitu- 4
li generalis dispositioni, ordinationi, reformationi, obedientiæq. vniuersa Monasteria, prioratus, domus, conuentus, oratoria, loca, res, & bona tam præsentia, quàm futura, cum suis membris, capellis, iuribus, ac pertinētijs; necnon personas, tam Clericos, quàm Conuersos, & Commissos, seu Laicos, ac alios ijsdem deseruiētes, subiectos esse, declaramus, & per præsentes omnia vnita, ac subiecta omnino in perpetuum esse decernimus: † cuius 5
etiam visitationi, & correctioni, omnia præfata subijcimus: nec alius, quàm ipsum Capitulum, seu ab eodem generaliter, vel particulariter deputatus, quispiam valeat quoquomodo aliquam iurisdictionē in ijs exercere, aut aliter se intromittere. † Nec vllus 6
omnino fratrum nostrorum, cuiuscumque gradus, & conditionis exsistat, præter eos, quos supra è corpore Capituli generalis esse diximus, ad ipsum generale Capitulum accedere præsumat, nisi de licentia Prioris generalis in scriptis habita, aut (si necessitas aliqua tempore eiusdem Capituli vrgēs expostulet) de consensu suorum Superiorum, ac

maioris

maioris partis Canonicorum sui Conuẽtus, atque etiam cum litteris testimonij, illorum manu subscriptis, sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis ad triennium: quam illicò incurrant, quicumque contra hanc Constitutioné fecerint. Quod si, qui venire præsumpserit, priuari non poterit, propterea quòd vocem non habeat in Capitulo, pœnæ grauioris culpæ ad tres menses subiaceat.
7 † Qui autem sunt è corpore eiusdem Capituli, ita demum ad veniendum se præparẽt, vt semper in loco eiusdem Capituli sabbato ante prædictã Dominicam tertiam post Resurrectionem inueniantur: qua Dominica, post Nonam, congregatis omnibus in Capitulo, qui sunt è corpore eiusdem,
8 † socij Prælatorum conuentualium litteras ipsorum assignationis Priori generali, & Visitatoribus legendas publicè reddant: quibus lectis, atque etiam corã auditis duobus testibus electionis socij Prælati illius Cõuentus, vbi Capitulum generale celebrandum est, cõtinuò
9 Prior generalis quærat, † an Prælati illorum Conuentuũ, qui debent soluere quindecennium, posuerint portionem sibi contingentem ipsius quindecennij in capsulam ad hoc deputatam: &, si quem repererit hoc neglexisse, eum pronunciet voce priuatum; nec is

in eodem Capitulo vocem habere actiuam, neque paſsiuam poſsit. Diligenter quoque 10
perſcrutetur, num quis ſit quacũque de cauſa voce priuãdus, & quotquot repererit perpetraſſe, cum aliorum conſilio, declaret, dictum, vel dictos voce priuatos: à qua declaratione, vel ſententia nullus valeat appellare. Poſt hæc omnia, dicat Prælatus maior, Adiutorium noſtrum, & cetera, vt ante; & omnes dimittantur. Craſtino autem die, ideſt feria ſecunda, dicta prius Prima in aurora, & cantata à Priore generali Miſſa Spiritus ſancti, cum Gloria in excelſis, & Credo ſollemniter, cõgregatisq. omnibus electoribus prędictis, ceterisq. Canonicis, qui adeſſe poterunt, per ſonũ campanulæ, in loco Capituli,
† Prior generalis, flexis genibus, in medio Ca- 11
pituli, corã omnibus, humiliter officio ſuo renuntiet in manibus Vicarij generalis, tradens eidem ſigillum officij ſui Generalatus: qui Vicarius generalis, ſi qua ei dicenda videbũtur, dicat: & nomine, ac vice totius Capituli ipſam renuntiationem, & ſigillum ab
eo benignè ſuſcipiat. Tum Prior generalis, 12
facta huiuſmodi renuntiatione, ſurgens, ad locum ſuum accedat, quem, ex vi huius Conſtitutionis, eſſe volumus, toto Capituli tempore, ſtatim ſub Capituli ipſius Definitori-

bus, & super omnes Prælatos conuentuales.
13 † Is itaque Prior generalis, ex vi priuilegiorum nostrorum, præsentisq. Constitutionis, hoc ipso die, & hora semper intelligatur absolutus; & sic ex nunc, prout ex tũc, eum absolutum esse declaramus ab officio generalis Prioratus ipso statim congregato Capitulo, etiam si minus, quàm per annum, in eodẽ fuisset, nec actu eidem renuntiasset officio:
14 † à quo per sexennium vacare, nec ad illud quoquomodo, nisi lapso sexẽnio, rursum assumi posse decernimus: tametsi eum vocem actiuam, seu ius ferendi suffragij in ipso Capitulo generali habere volumus. His itaque peractis, Cantores incipiant cantare hymnũ Veni creator spiritus: quem ceteri per suos versus alternatim cantantes vsque in finem prosequantur: deinde ijdẽ Cantores dicãt:
℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, Alleluia. & ceteri omnes:
℟. Et renouabis faciem terræ, Alleluia.
& Vicarius generalis. Oratio. Oremus.
Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christũ dominũ nost. ℟. Amen.
Deinde, exclusis, qui non sunt è corpore Capituli, celebretur Prioris generalis electio,

Paragr. iste 15. è de verbo ad verb. Cõstitutio Pij V. ad nostram Congregationẽ sub dat. Ro. die 6. Dec. 1571. Inter ceteras.

eo modo, videlicet infrascripto: Residentibus 15
habẽtibus vocem actiuam, & passiuam, Antiquior Canonicus aduertat, an sint omnes præsentes: Tum, pręmissa generali confessione à capitulo recitanda, eos absoluat, dicens: Misereatur vestri &c., Et, Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis &c. Et, Dispẽso vobiscum super irregularitate &c. Postea dicatur Hymnus, Veni creator Spiritus &c. Kyrie eleison &c. Pater noster &c. Oratio. Deus, qui corda &c. Quibus peractis, in conspectu omnium, cum duobus alijs de Capitulo, qui primitus habitum religionis susceperunt, ipsum concomitantibus, simulq. cum eo residentibus ad mensam decenter præparatam, cum capsula, seu vrna, vbi schedulæ suffragiorum poni debent, & papyro, & atramento ad scribendum processum electionis, accedat: ceteris in ipso Capitulo cum silentio residentibus, vnde nullus audeat absque necessitate, & licentia recedere. Et, quoniam vota, seu suffragia, iuxta decreta Concilij Tridentini, debent esse secreta, ita, quòd eligẽtium nomina numquã publicentur, singuli electores schedulas accipiant omnino similes, & vnusquisque in sua schedula nomen eligendi inscribat, vel dicat, Eligo N. in Priorem generalem. & an-

tiquior

tiquior Canonicus, & alij duo capitulares prædicti, postquam ipsi schedulas suas, ordine antiquitatis inter eos seruato, in vrnam, seu capsulam demiserint, aliorum schedulas accipiant, & in vrnam, seu capsulam præfatã inferant, & inspiciant, an schedulæ sint numero pares cum electoribus ibi pręsentibus; &, si inuenerint esse in maiori, vel in minori numero, quàm sint capitulares ibidem præsentes, illas comburant, rursusq. ad scrutinium modo præmisso procedant, donec inuenerint scrutinium esse canonicè factum, & tunc legant schedulas; &, si electio numero suffragiorum secuta fuerit, schedulæ etiam comburãtur; hoc declarato, quod nullus fieri, vel formari in Priorem generalem poterit, nisi in quem duæ saltem ex tribus partibus omnium eligentium concordauerint. Accedẽte itaque duarum dictarum partium consensu, factaq. electione, antiquior Canonicus, & alij duo scrutatores prædicti publicent electorum nomina, exprimẽdo numerum suffragiorum, quæ quisque habuerit: quod faciendum est, licet aliquis nõ habuerit vota, vel suffragia ad sufficientiam, vt ad secundum scrutinium (sicut præmittitur) deueniri posit: decretum vero electionis ab illo, qui inter scrutatores primus fuerit, licet

ele-

electo suum suffragium non contulerit, per hæc verba formetur : Ego N. vice præsentiũ capitularium eligo A. in Priorem generalẽ. Quod si primus scrutator fuerit electus, secũdus scrutator ad publicãdum scrutinium, & formandum decretũ succedat : completaq. electione, & decreto (vt præmittitur) formato, scrutatores processum electionis cõpleãt, atque subscribant, subiũgendo ; Inuenimus, quòd N. in Priorem generalem nominatus habuit tot suffragia, & ego N. decreta electionis formaui : In quorum fidem manibus nostris subscripsimus, & sigillo Congregationis nostræ roborauimus, die, vt supra: & hanc formam, & ordinem in singulis electionibus inuiolabiliter obseruari volumus, & mandamus : & aliter factæ electiones nullius sint roboris, vel momenti: &, si quis aliàs, quàm, vt præmittitur, quouis modo, aut quæsito colore, se intromiserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse censeatur. Post
quæ eidem electo † tradat sigillum Generalatus 16
officij Vicarius generalis, manum illius humiliter osculando. † Denique sic electus, 17
postquam assensum præbuerit, & acceptauerit, ex vi priuilegiorum Ordinis nostri, prçsentisq. Constitutionis, tamquam ab Apostolica Sede confirmatus, iam tunc sit verè

nostri Ordinis generalis Prior, & pro generali Priore reuerēter ab omnibus habeatur.

18 † Tum verò pulsentur campanæ, & Cantores statim, Te Deum laudamus, cantare incipiant: quo incepto, Canonici omnes, processionis ordine, in Ecclesiam, iunioribus præcedentibus, vadant, hymnum ipsum prosequendo; quem ibi in choro stantes perficiāt; eoq. expleto, Cantores ante altare dicant:

℣. Saluum fac seruū tuum, alleluia. & ceteri:

℟. Deus meus sperantem in te, alleluia.

Deinde Vicarius generalis subiungat, ceteris vicissim respondentibus, sic:

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oratio. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Domino A. Priori generali nostro, & dirige eum secundum tuam clementiam in viā salutis æternæ, vt, te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

19 † His expletis, ipsi Priori generali, in loco superiore sedenti, omnes Canonici, ac fratres nostri humiliter, & reuerenter, flexis genibus, in signum subiectionis, & obedientiæ, manum osculentur: quos ipse benignè susci-

piens benedicat: & in fine omnium eos dimittat, dicens, Adiutorium nostrum, & cetera, vt aliàs dictum est. † His itaq; peractis, 20
eiusdem diei mane, si fieri poterit, alioquin post Nonam, vel ad extremum statim post Vesperas, quattuor ex Canonicis, qui sunt è corpore eiusdem Capituli, in Visitatores singulariter eligantur, eodem modo, & forma, quibus Prior generalis: hoc tamen declarato, quod illi intelligantur electi, in quos maior pars electorum concordauerit, quemadmodum hucusque laudabili, ac perpetua cõsuetudine in Ordine obseruatum est. Visitatoribus igitur sic electis, Prior generalis eorum electionem singulari numero pronuntiet, dicens: Ego Domnus. A. Prior generalis, vice mea, & omnium præsentium electorum, eligo Domnum. H. & Domnum L. & Domnum P. in Definitores præsentis Capituli generalis, & successiuè in Visitatores totius Congregationis nostræ. † Si verò 21
contingat aliquem ex Visitatoribus anni precedentis in Priorem generalem assumi, † a- 22
lius è corpore eiusdem Capituli, post prædictorum electionem, loco illius, eodem modo, & forma, quibus Visitatores, electus substituatur: qui omnes sic electi, vnà cum alijs Visitatoribus anni præcedẽtis, & Priore ge-

Quattuor Visitatores ex Constit. Gre. XIII. ad nostram Congregationem, sub dat Romæ, die 23. Maij 1574.

nerali, ſeu (ſi Prior ipſe generalis tũ fortè pręſ-
23 ſens non aderit) cum Vicario generali, † De-
finitores eiuſdem Capituli exſiſtẽtes, cuncta
ſimul diſcutiant, tractent, atque definiant,
quæ ſibi ad Dei honorem, religionisq. pro-
fectũ, vtiliora fore cognouerint: &, ſi quan-
do, in rebus deliberandis, atque definiendis,
non concordarint, quinque ipſorum ſenten
24 tia præualebit. Subſtitutũ autem loco Prio-
ris generalis, eo ipſo anno ad omne officium
eligi, ſequenti verò etiam ad Viſitationis of-
ficium aſſumi, non tamen iterum Subſtitutũ
fieri poſſe, ſed ab eiuſmodi officio vno ſaltẽ
anno vacare debere, declaramus, ac volu-
25 mus. Ipſis autem Definitoribus, in ijs, quæ
tractanda, ſeu definienda ſunt, ac quibuſdã
alijs Canonicis, ex Definitorum mandato,
occupatis, ceteri, qui ſunt è corpore Capi-
tuli, ab illis non occupati, cum reliquis Ca-
nonicis conuentualibus, bono exemplo vi-
uendo, ſimul Diuinis laudibus, ac domeſti-
cis ordinationibus, & cærimonijs, (quantum
fieri poterit) intereſſe ſtudeant, ne, ad alios
ordinandos congregati, ipſi, contra regula-
rem diſciplinam viuẽtes, ceteris exemplum
26 diſſolutionis præbere dignoſcantur. Quo
circa Prior generalis, qui, officio renuntia-
turus, Miſſam Spiritus ſancti (vt dictum eſt)

cantauit, ipse tabulam, indicem officiorũ ecclesiasticorum, pro Missis, cum Diaconis, ac Subdiaconis cantandis, per totum Capituli tempus conficiat: cui omnes in eo parere teneantur. Conuentus autem, quem Dietam appellant, † quotannis in loco commodo habeatur: in quo Prior Generalis, ac Visitatores, vna cum duobus ex quattuor Congregationis prædictæ Canonicis, in generali Capitulo, ad hoc, tamquã Cõsultores, instar aliorũ Officialiũ, specialiter eligendis, cõueniãt. significando prius omnibus, & singulis Prælatis conuentualibus diem, & locum; ita, vt, si aliquis ipsorũ haberet aliquid in huiusmodi Congregatione proponendum, commode vel ipsemet personaliter de cõsensu Prioris generalis, ad prædictum locum accedere, vel per nuntiũ, aut epistolam, ea de re Priorem generalem, & alios prædictos, certiores reddere, ipsosq. consulere possit.

Paragr. 27. est de verbo ad verbũ Constit. Sixti V. ad nostrã Congregationẽ, sub dat. Ro. 23. Augusti 1589.

27

DE ELECTIONE PROCVRATORIS generalis: & de alijs in Capitulo generali agendis. Cap. XXXII.

1 Procuratoris generalis electio.
2 Canonici tres, deputati ad computos, seu rationes accepti, & expensi.

Com-

3 Computi, seu Bilancia Monasteriorum deferantur tempore Visitationis.
4 Auditores, & Iudices, tres, causarum eligantur.
5 Prior, siue quiuis alius, non exsequens decreta, ab Auditoribus, siue Iudicibus tribus causarum, puniatur. possit tamen appellare, & ad quos, num. 6.
7 Iudex nullus sit in causa propria.
8 Reuisores tres contractuum, in Capitulo generali.
9 Instrumenta omnia, ad Capitulum generale.
10 Reuisio computorum Prioris generalis, & expẽsarum Procuratoris generalis quoquo modo factarum.
11 Procurator generalis, rationes reddat, sub pœna &c.
12 Prælati taxas suas soluant.
13 Taxa vna tantum in singulos annos imponatur.
14 Liber rationnm, & computornm depositi in Romana Curia, pro Congregationis negotijs; & vbi asseruandus.
15 Commemoratio obitus fratrum, parentum, propinquorum, ac benefactorum, & habentium litteras participationis.
16 Commendatio viuorum.
17 Excommunicatio contra proprietarios. eamq. quilibet Prę latus in suo Conuentu publicet, num. 18.
19 Egrediantur e Capitulo, qui non sunt e corpore Capituli.
20 Litteræ ad Capitulum generale, aut ad Definitorium.
21 Litteris quid respondendum, qui tractare debeant.
22 Proponere quilibet possit in Capitulo generali, liberè, ac religiosè.
23 Proponenda pro Constitutione in Capitulo generali, valuis affigantur.
24 Statutum generale, vel consuetudinem antiquam, nullus possit immutare, vel &c.
25 Cõstitutiones nouæ nullius sint valoris, nisi post tria cõtinuata Capitula.
26 Statutum nouum nõ practicetur ante tertium Capitulum, & approbationem.
27 Prælati, qui eligendi.
28 Tituli, quibus conferendi.
29 Titulares, quibus gaudeant.
30 Titulares, quibus non gaudeant.
31 Definitores tractent de innouandis officialibus, in Con-

uenti-

uentibus, & de mutandis personis, aut pænitentijs afficiendis.

32 Definitores, de seipsis nihil definiant, aut determinent.

33 Capituli generalis futuri pronuntiatio, & nó amotio. n. 34.

35 Prælati omnes, vltimo die Capituli renuntient in manibus Prælati maioris Officijs suis, & tradant sigilla Priori generali.

36 Capituli generalis acta publicentur; & ab omnibus suscipiantur; nullusq. contradicat, num. 37.

38 Renuntiari non posit Prælatura vlla.

39 Sigilla, quo modo dentur Prælatis Conuentuum, vel ad eos mittantur.

40 Capitulum de Culpis: & earum pænitentia.

41 Confessio, & absolutio, in fine Capituli.

42 Notarij Capituli generalis electio, officium, & auctoritas.

43 Notarius Canonicus, quid agere debeat, si quid incideret, quod ad forum iudiciale deduci necesse esset.



Electio Procuratoris generalis, secũdũ Cõstit. Greg XIII. sub datum Romę, die 23. Maij 1574. & Sixti V. sub dat Romæ, die 23. Aug. 1589.

CVM autẽ die sequenti, idest feria tertia mane, Prior generalis cum Definitoribus in Capitulum ingressus fuerit, ante omnia simul tractent de creatione noui Procuratoris generalis, ad Romanam Curiam, vel alio, quocũque opportunitas vocauerit, mittendi: &, facta prius inter se matura, & diligenti discussione in Definitorio, eligant per vota secreta ipsum Procuratorem generalem, quemadmodum eligunt & ceteros Prælatos conuentuales. 1
† Poterunt etiam ijdem Prior generalis, & Definitores ordinare, seu constituere tres ex eiusdẽ corpore Capituli Canonicos, qui 2

videre habeant computos, seu rationes accepti, & expēsi singulorum Monasteriorum, omniaque, quæ per electos, & à singulis Conuentibus (vt ante capitulo trigesimo dictum est) ad huiusmodi supputandas Monasteriorum rationes assumptos, in scriptis ad ipsos Definitores trāsmissa fuerint: vt, de omnibus benè instructi, fideliter ad prædictos Patres
3 referre valeant. † Teneātur tamen ipse Prior generalis, & Visitatores, tempore Visitationis deferre secum huiusmodi computos, seu Bilancia Monasteriorum, quæ in Capitulo generali (vt præfertur) prædictis Iudicibus assignata, & ab eis examinata fuerunt, illaq. dicto Visitationis tempore in singulis Conuentibus conferre cum libris, & rationibus, atque capitibus ordinarijs, vt videant, concordent, necne.
4 † Eligant insuper Definitores prædicti tres alios è corpore Capituli, qui Auditores, & Iudices exsistāt causarum, nempe ad audiendas, discutiendasq. omnes, & singulas controuersias, & querellas ante se factas, occasione librorum a singulis Cōuentibus ablatorum, aut rerum quarumlibet, seu pecuniarum, pro indumentis, & pro alijs huiusmodi debitarum, iustitiam omnibus ministrando, &, quæ determinauerint, scripturæ commēdando.
5 † Si quis autem, siue Prior,

siue

siue quiuis alius, tantæ temeritatis fuerit, vt, quæ per eos iudices deliberata, atque decreta super huiusmodi fuerint, non omni ex parte exsequatur, à Definitoribus ipsis, vt ea exsecutioni mandet, curetur: quod si ne tum quidem ijs parere voluerit, in Capitulo generali proximè futuro voce actiua, & passiua priuatus pronuntietur. † Si quis tamen de ijs, 6
quæ illi ordinauerint, se grauatum senserit, ad Priorem generalem, & Definitores appellet, licebit; &, quidquid demum per eos determinatum fuerit, humiliter accipere, eorumq. sententiæ parere teneatur. † Cum autẽ 7
quidquam de Monasterio alicuius eorũ triũ tractabitur, ceteri duo tertium quempiam, loco socij, iam ab ipsis exclusi, eligãt, donec expedita fuerit illius Monasterij causa; ita, vt nullus vmquã in re propria iudex exsistat.
† Decernimus insup, vt in Capitulo generali, 8
vel Dieta singulis annis, à Priore generali, & Definitoribus, tres alij ex omni Prælatorũ numero eligantur, qui cognoscere, examinare, ac perpendere diligenter habeant quascũque venditiones, permutationes, seu alienationes bonorum immobiliũ, eo anno in Monasterijs factas. † Quocirca omnes Monaste- 9
riorum ipsorum Prælati instrumenta, & contractus super huiuscemodi cõfectos, seu eorũ

exem-

exempla, ſecum ad Capitulũ generale deferre, & iudicibus prædictis, vnà cum litteris conceſsionis, aut facultatis, à Capitulo generali, aut intra annũ à Priore generali, & Viſitatoribus conceſſa, tradere teneantur; vt nimirum ex ijs cognoſcere, an ritè alienationes, aut permutationes illæ (vt ordinatum fuerat) factæ, ac inde contractæ pecuniæ, in alijs prædijs, ſeu bonis ſimilibus immobilibus, collocatæ fuerint, poſsint: in quibus quidem, ſi eos deliquiſſe compererint, rem ad Priorem generalem, ac Definitores, referant, qui, quantò citius, quantoq. melius fieri poterit, quæ in illis vel errata deprehenderint, corrigenda, vel omiſſa, diligẽter ad-
10 implenda curent. † His etiã iudicibus Prior generalis ſuperioris anni, qui videlicet iam officio ſuo functus eſt, de pecunia ſibi pro officio ſuo aſsignata; & Procurator generalis de expenſis in Romana Curia, vel alibi, tam pro vniuerſa Congregatione, quàm prò ſingulis Monaſterijs, locisq. Congregationis à ſe factis, rationem reddere teneantur.
11 † Quamobrem ipſe Procurator generalis, etiam ſingulo quoque anno, tempore Viſitationis, & Dietæ, rationes, & computos expenſarum huiuſmodi, Cõgregationis, & Monaſteriorum, (vt dictum eſt) nomine factarũ,

tã pro Beneficijs impetratis, quàm pro quibuſcumque alijs negotijs, & cauſis, omnino reddat: vt videlicet & in Monaſteria pro rata parte debitum diſtribui, & campſoribus diſſolui in tempore poſsit, ne fenus in Congregationis detrimentum immensè creſcat: idq. ſub pœna vocis actiuæ, ac paſsiuæ priuationis ad triennium. † Proinde Prælatus quiſque conuentualis huiuſmodi portionem ſuã 12
per totum proximè futurum menſem Octobrem perſoluere teneatur. quod ſi quis non fecerit, is nec actiuam, nec paſsiuam vocem habere in proximè ſequenti Capitulo generali poſsit, ſed per Priorem generalem, cum litteræ ſociorum Prælatorum in Capitulo recitantur, vtriuſque vocis, ſeu ſuffragij iure, in omnibus electionibus, & in alijs quibuſcumque in ipſo Capitulo pertractandis, priuatus palàm pronuntietur: quam eandẽ pœnam Procuratores Monaſteriorum, qui idẽ procurare neglexerint, ad triennium agant.
† Verumtamen, ne Monaſteria plus nimiò, 13
& ſupra quàm ipſorum ferre facultates poſſint, grauentur, ſed ſingula portionem ſuam commodè perſoluere queant, ordinamus, vt nullus nec Prior generalis, nec Viſitator Cõgregationis noſtræ pro ſuo ipſius officio imponere niſi taxã vnã in ſingulos annos poſſit,

de qua etiam (vt dictum est) rationẽ reddat.
14 †Huius quoq; sanctione Decreti ordinamus, vt certus liber habeatur, in quo rationes, & computi depositi, in Romana Curia, pro Congregationis nostræ causis, ac negotijs constitutis, annotentur, ac describãtur: quos etiã per tres illos iudices prædictos diligenter inspici, atque examinari; librũ verò Venetijs in Monasterio S. Saluatoris penes illius Monasterij Priorem asseruari, & ab eodem ad Capitulum generale deferri volumus, atque mandamus. Post Nonam verò, facto signo, Canonici omnes, etiam qui non sunt è corpore Capituli, ad Capitulum conueniãt, & Spiritus sancti, à quo filij Dei aguntur, inuocata prius gratia per

Ant. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fideliũ, & tui amoris in eis ignẽ accẽde.
℣. Emitte spiritum tuũ, & creabũtur, alleluia.
℟. Et renouabis faciem terræ, alleluia.

Oratio. Oremus.

Deus, qui corda fidelium, & cetera: Patribusq;, & Canonicis residentibus, & loca sua per ordinem tenentibus, quia indigentibus quàm citius subueniendum est,
15 † obitus fratrum, parentum, propinquorum, ac benefactorum Ordinis nostri, & præsertim eorũ, qui habent litteras participationis, post Ca-

pitulum generale proximè præcedēs, defunctorum in communi, omnibus audientibus, commemoretur: pro quibus statim fiat, etiam in cōmuni, Oratio, dicto pro eis Psalmo De profundis sub Antiphona Si iniquitates, & ceteris omnibus, quę supra Capitulo vigesimo-octauo De Capitulo quotidiano pro omnibus fidelibus defunctis dicenda notata sunt,
† Deinde fiat viuorum cōmendatio, pro qui- 16
bus dicatur Psalmus, Ad te leuaui oculos meos, cum reliquis, vt in eodem Capitulo ordinatè continetur: &, antequàm Canoni-
ci ex ipso Capitulo recedant, † fiat excom- 17
municatio contra proprietarios in forma, † 18
quam quilibet Prælatus in suo Conuentu, intra duos dies postquàm applicuerit, similiter
facere, ac publicare teneatur. † Posteà verò, 19
qui non sunt è corpore Capituli, ad iussum
Prioris generalis egrediantur: & tum, † si qui 20
litteras aliquas habent ad ipsum Capitulum generale destinatas, illicò Patribus reddant, publicè omnibus recitandas: quæ autem solis Definitoribus directæ sunt, ab illis solis se-
cretò legantur. † Perlectis itaq. litteris, ad v- 21
niuersum Capitulū generale directis, tractetur ab omnibus simul, quid super negotijs in dictis litteris contentis agendum, aut respōdendum sit, vt & loco, & tempore de ijs ple-

nè

nè per ipsos Patres, aut per deputatos ab illis,
22 maturè, & cum caritate respődeatur. † Deinde, tempore congruo, qui volét aliqua proponere, surgentes, coram vniuerso Capitulo proponant. super quibus, siquis aliquid, approbando, aut reprobando, dicere voluerit, liberè, ac religiosè dicat: tum, auditis omnibus, scrutatisque, more consueto, omnium sententijs, & voluntatibus, si, Diuina inspirante gratia, aliquid obtentum fuerit, in acta referatur, atq; annotetur: sin autem repudiatum, atq; reiectum, patienter toleretur.
23 † In hoc tamen illud statuendum esse duximus, vt, qui aliquid huiusmodi pro Constitutione proponere voluerit, id prius in scheda descriptum valuis Capituli, vel in alio idoneo loco, affigat, quo ab omnibus ante conspici, & considerari posit, quàm in
24 Capitulo discutiendũ proponatur. † Generale tamen Ordinis statutum, vel consuetudinem diu in Ordine obtentam, & communiter approbatam, nullus quidem, etiam Prior generalis, vel Visitatores valeant aliquatenus immutare, vel alia noua instituere:
25 † nec omnino quidquam huiusmodi vim Cőstitutionis habeat, nisi à duabus ex tribus partibus per tria Capitula generalia, continuè, & immediatè subsecuta, ordine, ac forma, qui-

bus

bus paulò ante dictum est, fuerit obtentum, approbatum, & confirmatum: nec id tamen practicari valeat ante tertij Capituli approbationem. † Quare, si quis ante tertium Capitulum, & approbationem huiusmodi, aliquod nouum Statutum practicare ausus fuerit, is pœnam grauis culpæ se illicò incurrisse cognoscat. † His omnibus maturè peractis, eorundem Prioris generalis, & Definitorum studium, atq; officium erit, ita prudenter inter se examinare, atq; discutere quoscumq; Prælatos preficere Conuentibus voluerint, vt ex eis Dei honor, & Religionis profectus valeat resultare. † Et, quoniam plures plures Ecclesiæ, & antiqua Monasteria, anteà diuersis temporibus Abbatiarum, Præpositurarum, ac Prioratuum Congregationis nostræ mensis fuerunt vnita, &, earum vnionum vigore, Ecclesiarũ huiusmodi, ac Monasteriorum tituli penitus exstincti: ne aliqui inter eos præcipui nominis, ac dignitatis obliuioni prorsus mandentur, dignum visum est statuendum, vt Prior generalis, & Definitores, huius auctoritate Decreti, possint, ad ipsorum arbitrium, huiusmodi titulis, ac dignitatibus, aliquos Cõgregationis nostrę Patres, præsertim seniores, decorare, eosq. huiusmodi Ecclesijs, ac Monasterijs, titulo tenus

26
27
28

annua-

29 annuatim præficere, vel amouere: † qui ſic electi, dum his titulis, ac nominibus, potiuntur, teneant locum ſuum in Eccleſia, & vbique, ſtatim poſt Vicarium Monaſterij, & poſt ordinarios aliorum Monaſteriorũ Prælatos: nec in tabula Officiorum, quæ Sabbato legi-
30 tur, notentur. † Nolumus tamen, propterea hos Titulares habere nec acceſſum ad Capitulum generale, nec vocem in eo, niſi eos forte (vt conſuetum eſt) eligi contigerit; nec vllam omnino adminiſtrationem in rebus, ac bonis locorum huiuſmodi titulorum gerere; nec aliquid pecuniarum penes ſe, aut alium retinere; nec aliorum Canonicorum, aut fratrum noſtrorum confeſsiones audire, vel ſe alteri confiteri, niſi de expreſſa ſuorũ Superiorum licentia; ſed eos titulis, dignitatibus, & exemptionibus huiuſmodi, ſimpliciter (vt dictum eſt) gaudere decernimus.
31 † Præterea Definitores ipſi inter ſe pertractẽt, ac videant, an aliqui alij Officiales in Conuentibus quibuſcumque inouandi, vel Canonici, aut fratres mutandi, an aliqui etiam pænitentijs afficiendi, vel à pænitentia abſoluendi ſint: de quibus omnibus, & alijs ijs ſimilibus neceſſarijs, Prælatus maior, vnà cum
32 Definitoribus, tractabit, & deliberabit. † Nullus tamen ipſorum Definitorum de ſe ipſo

quidquam determinare, aut definire valeat; sed, extra Capitulum, seu Definitorium secedēs, dum de se determinabitur, exspectet: &, quidquid, Domino inspirāte, ordinatum fuerit, ipsē quoque, sicut ceteri, humiliter, & deuotè, de manu Domini suscipiat. † Statuen 33
dum etiam semper est, antequam Capitulum dissoluatur per eosdem Definitores, quo in loco proxime futurū Capitulum sit celebran
dum: † quod inde postea absque magna ne- 34
cessitate minimè amoueri liceat: occurrente verò vrgente, & legitimo impedimento, ex quo ibidem celebrari non possit, per Priorē generalē, & Visitatores, locus alius idoneus prouideatur; & tempore congruo singulis Conuentibus, vel Prælatis intimetur. † Vlti- 35
mo autem die Capituli ingrediatur iterum Prælatus maior, cum omnibus Canonicis, & fratribus, Capitulum, in cuius manibus omnes Prælati Officijs suis renuntient; singuli suorum sigilla Officiorum ipsi Priori generali tradentes, manumq. osculantes; & postmodum ad suæ quisque professionis locum reuertantur. † Deinde, quæ definita sunt, & 36
scriptis mandata, in Capitulo coram omnibus palàm legantur, ac publicè recitentur: &, quidquid, Spiritu sancto donante, determinatum, ac publicatum fuerit, Capitulum

vni-

vniuersum humiliter, ac deuotè suscipiat;
37 † nullus murmuret, nullus reclamet, nullus
38 contradicat. † Quapropter ordinamus, & obseruari volumus, vt, quicumque Patrum nostrorum electus fuerit in Priorem generalẽ, seu Prçlatũ conuentualem, seu ad aliud quodcumque Officium, id nullo modo, nec labore oneris, nec alia causa, remittendo, declinare, sed, obedientiæ, & caritati, caput humiliter submittendo, omnino acceptare teneatur.
39 † Post hæc omnia, Prælati Conuentuum, qui in ipso Capitulo præsentes exstiterint, ad Priorem generalem, ad eius iussum, accedentes, sigilla officiorum suorum humiliter accipiant, eiusq. manum osculentur: qui verò absentes fuerint, ad eos, vel per socium Prælati, vel per
40 alium Canonicũ, sigilla transmittantur. † Postea, si tempus quidem superenit, audiantur in cõmuni frarrum culpæ: ac præsentibus quidem per Prælatum maiorem pænitentia iniungatur; absentibus verò per Prælatos suos
41 transmittatur, vel imponatur. † Denique fiat generalis confessio, & absolutio; deturq. omnibus benedictio; & sic Capitulum absoluatur, ac omnes dimittantur in nomine Domi-
42 ni. † Volumus etiam, & præsentium tenore ordinamus, vt per Priorem generalem, & Definitores, eligatur vnus ex Canonicis nostris,

qui, tamquam publicus Notarius, omnium actuum Capituli sit rogatus, & de ijs publicũ instrumentum conficere possit: cuius scripturis huiusmodi indubiam fidem, ac si Apostolica auctoritate Notarius publicus foret, volumus adhiberi. † Si qua tamen fortè inciderent, quæ ad forum iudiciale deduci necesse 43
foret, possit ipse, tamquam publica persona, alteri Notario publico referre, qui de rogatis per eundem Canonicum, & ipse publicum conficiat instrumentum, ad quoscumque, seu profanos, seu Ecclesiasticos actus, vbi necessitas tulerit, deducendum.

DE AVCTORITATE PRIORIS generalis, & Visitatorũ, ac Procuratoris generalis. Cap. XXXIII.

1 Prælati, & subditi, quamprimum ad sua Monasteria accedant.
2 Priores, & Prælati, publicent actus Capituli generalis in Conuentu.
3 Amoti è Conuentibus, ad aliosq. deputati, ad loca parata properent.
4 Prioris generalis diligentia, & sollicitudo.
5 Priorem generalem nullus adeat sine licentia.
6 Prior generalis aliquando committit vices suas, sed Visitatoribus.
7 Prioris generalis auctoritas.
8 Prior generalis reseruare potest sibi casus.
9 Prior generalis potest ab officio amoueri. &, si amoueat,

vel

vel moriatur, Visitator antiquior eius vices exerceat.
10 Canonicorum amotio intra annum, quo modo.
11 Prioris generalis prudentia, & discretio.
12 Prior generalis potest duos Visitatores ad visitandum mittere. & Visitationis exordium, quando.
13 Visitatio Monasteriorum qualis.
14 In Visitatione quid præsertim inquirendum.
15 Culpa non habens pœnam determinatam, iuxta discretionem Prælati iniungatur.
16 Grauati, & seuerius puniti, recursum habeant ad Capitulum generale.
17 Visitatorum auctoritas, in Visitatione.
18 Visitator solus non possit facere Visitationem.
19 Prior generalis demādat negotia particularia Visitatorib.
20 Visitatores nullum alium officium habeant.
21 Prioris generalis, & Visitatorum præteritorum punitio.
22 Visitatorum vacantia à dignitatibus per triennium.
23 Visitatoratu vacante, quo modo prouidendum.
24 Prior generalis quo modo possit Constitutiones dispensare. & Visitatores. num. 25.
26 Procuratoris generalis officium, quod & limitatur.
27 Procuratoris generalis priuatio, inappellabilis.
28 Officialium omnium priuatio, inappellabilis.
29 Procuratoris generalis subrogatio.
30 Procuratoris generalis prouisiones, à singulis Conuentibus.
31 Procurator generalis ad Capitulum accedat, & vocem habeat.
32 Procuratoris generalis locus, in Capitulo. &, intra annū, in Conuentibus num. 33. &, si in Conuentu Romano in Priorem preficeretur, num. 34.
35 Procuratore generali absente, quid agendum.
36 Procuratori generali socius assignetur.
37 Procuratoris generalis socius nullo modo accedat ad Capitulum generale.
38 Constitutiones obligant ad pœnam tantum, non ad culpam, nisi &c.
39 Capitulum, triennale sit.
40 Constitutionum obseruatio.



BSOLVTO tandem, Diuina fauente clementia, Capitulo generali,† studeāt om- 1
nes, tam Prælati, quàm Subditi, qui nō sunt ex Conuentu, in quo Capitulum celebratum est, ita se ab omnibus expedire, vt ad Conuentum sibi assignatum quàm citius accedere valeāt, & præsertim Prælati, ne Conuentus Pastorū suorum solatio destituti iacturam aliquam spiritualem, siue temporalem, eorum absentia patiantur, & oues Dominicæ sine custodū diligentia luporum morsibus facillimè pateant.† Priores quoque, & alij Monasteriorū 2
Prælati, cum ad suos peruenerint Conuētus, quàm citius poterūt, quę in Capitulo generali ordinata sunt, legenda, ac recitanda publicè in suo quisque Conuentu curent: quæ omnia singuli de manu Domini absque contradictione suscipere teneantur:† &, qui è 3
Conuentibus amoti, ad aliosq. deputati, & ordinati sunt, non differant se ab omnibus expedire, & ad loca sibi à Domino parata cū matura festinatione properare, ne, eorū absentia, (vt frequenter contingere posset) religionis vigor, & obseruantia, morumq. disciplina nequeat obseruari.† Prior verò ge- 4
neralis semper calceatos pedes habeat, pa-

ratumq. ad omnia ſe exhibeat, vt iis, quæ
vbique neceſſaria occurrerint, valeat pro-
uidere: ad quem, tamquam ad communem
omnium Patrē, & Caput, omnes accurrere,
&, quaſi ad matris gremium, fouendi, confu-
5 gere poſsint. † Nullus tamen ad ipſum Prio-
rem generalem, quocumque loco conſtitu-
tum, præſens accedere præſumat abſque li-
centia ſpeciali, ante ab ipſo Priore generali
in ſcriptis habita, vel à ſuo Prælato (vt decet)
obtenta: ſed ipſi Priori generali ſcribere, ſi-
ue per perſonam Ordinis noſtri ſua vota ſi-
6 gnificare, vnicuique liceat. † Verū, quoniā
Prior generalis minimè vniuerſis vbique oc
currētibus negotijs ſolus per ſe ſufficere po-
teſt; propterea plenam eū habere volumus
tenore præſentium facultatē, per vnum, aut
per plures ex Viſitatoribus opportunè nego
tijs poſſe prouidere; illosq. ad quæcumque
neceſſaria deſtinare, ac iiſdem vices ſuas in
partem, vel in totum committere, prout ſibi
ad honorem Dei, religionisq. profectum, vi-
ſum fuerit expedire. Nequeat tamen alicui
vices huiuſmodi, præterquàm Viſitatoribus
ipſis, (vt dictum eſt) vlla ratione committere:
&, ſi ſecus factum fuerit, commiſſionem hu-
iuſmodi ex nunc, prout ex tunc, irritam, &
inanem, nulliusq. roboris, vel momenti, om-

unno esse decernimus. † Volumus insuper, 7
ipsum Priorem generalem, ex vi præsentis
Constitutionis, eãdem auctoritatem, qua ceteri
Prælati conuentuales potiuntur, habere;
ac, præter illam, tantã habere in Ordine potestatem,
quantam ei Definitores Capituli
generalis, vnà cum antiquiore Canonico,
vocem in electione habente, concesserint, &
non maiorem. † Poterit quoque Prior gene- 8
ralis, cum sibi videbitur, & expediens esse iudicabit,
aliquos sibi reseruare casus, à quibus
nullus absolui queat, nisi ab ipso, aut ab eo,
cui ipse vices suas commiserit, præterquam
in mortis articulo. † Si quando autem conti- 9
gerit, ipsum Priorem generalem intra annum
sui officij ab hac luce migrare, vel etiam ab
officio legitimè amoueri, volumus, & præsentium
auctoritate declaramus, officiũ ipsum
Generalatus per antiquiorem ex Visitatoribus
exerceri debere: eumq. in omnibus, &
per omnia vices, & auctoritatem illius obtinere
statuimus: qui tamen anno proximè sequenti
valeat ad ipsum Generalatus officiũ,
(si Capitulo generali placuerit) non secus, ac
si dictas vices non habuerit, promoueri. † Pos- 10
sit etiam ipse Prior generalis, cum sibi opportunum
videbitur (cum consilio tamen sociorum
suorum Visitatorum, & consensu Prela-

torum, & Vicariorum illorum Conuentuũ, vnde amouentur, & ad quos destinantur, vel eorum maioris partis) intra annum, Canoni-
1 cos, & fratres nostros, cujuscumque condicionis existant, è Conuentibus amouere, & ad alia Monasteria destinare: cui omnes, tã-quam Patri sibi à Deo concesso, sine vlla con
11 tradictione obedire teneãtur. † Curet tamen ipse Prior generalis, ita prudenter, & discrete, vniuersa tractare, & ordinare, vt nemini iusta commotionis causa, atque offensa y præstetur; sed sciat, se omnibus esse debitorem, & sibi omnium paci, ac quieti, quantum in se
1 est, salubriter & maturè esse consulendum.
12 † Teneatur insuper idem Prior generalis, legitimo cessante impedimento, vnà cum tribus socijs Visitatoribus sibi à Capitulo generali assignatis, coniunctim, aut (si eidem pro ingruẽtia negotiorum magis visum fuerit expedire) separatim, hinc ipse per se cum vno ex illis, illinc per alios duos Visitatores simul, prout sibi placuerit, semel saltem singulis annis, quemlibet visitare Conuentum: queadmodum etiam in priuilegio Pauli Secundi Papæ latius continetur: quam quidẽ Visitationẽ incipere teneatur die primo Augusti, vel ante: eamq. vltra dierum octo spatium in quolibet Conuentu protrahere non

 posit;

posit, ac ipsam incipere debeat infra dies duos naturales, ex quo ad Conuentum applicuerit, & sic deinceps ad alia Monasteria pertransire. † In ijs autem Visitationibus studeant ipsi Prior generalis, & Visitatores, omnia maturè, & discretè tractare, ac perscrutari; &, vbi inuenerint aliqua meritò punienda, sine personarum acceptione, ita corrigere, & punire procurent, vt semper & rigorem vitijs, & naturæ misericordiam exhibeant; nec vitia, transgreßionesq. vlla ratione impunita remanere permittant: quoniam scilicet impunitas delictorum ausum peccandi subministrat. † Sed diligenter præsertim inquirant, vtrum Priores, alijq. Prælati ab alijs obseruanda curarint, & ipsi obseruauerint mandata regulæ Beati Augustini Patris nostri, hasq. Constitutiones, & Ecclesiæ Ordinarium: &, si quos inuenerint in huiusmodi deliquisse, aut in ijs, quę sibi minimè conceßa sunt, dispensasse, aut conceßis nimis largè abusos fuisse, eos districtè puniendos esse decernimus: quoniam non tam sibi, quàm toti corpori, obfuisse manifestum est: in quibus tamen delictis puniendis, quantum possunt, modum, & formam in his Constitutionibus traditam sequi teneantur. † Quia verò plures sunt delictorũ species, & casus, quàm leges,

in ijs

in ijs culpis, in quibus non est constituta pœna, iuxta ipsorum discretionem, delinquentibus pænitentia iniungatur: à qua nulli omnino tum appellandi locũ, ac facultatem patere volumus; sed omnes tacitè, quietè, & pa-

Appellationes prohibētur, nisi, vt sup. cap. 32. §. 6.

16 tienter, ferre decernimus. † Ne tamen quisquam indebitè, aut durius, quàm humana ferre possit infirmitas, fortè puniatur, si qui senserint se grauatos, ad Capitulum generale recursum habeant, à quo exspectent iustitiam sibi tempore debito ministrari: quam litteris, vel nuntijs, per se, vel per alium, in-

17 trepidè vnicuique exposcere liceat. † Id ipsum etiam Visitatores facere studeant, cum solis sine Priore generali (vt ante dictum est) visitare contigerit: quibus tanta vti auctoritate concedimus, quantam eis Prior generalis commiserit: qua tamen ita prudenter, & moderatè, vtantur, vt sacræ religionis rigorem, & obseruantiam, custodire, & non im-

18 minuere, videantur. † Nullus tamen prædictorum possit solus ordinariam facere Visitationem, sed semper vnum saltem socium (vt ante etiam traditum est) habere teneatur.

19 † Poterit tamen Prior generalis auctoritatē suam cuilibet illorum, sigillatim, vel coniunctim, (cum sibi opportunum esse videbitur) circa particularia negotia incidentia com-

mittere, quibus tam Prælati ipsi, quàm sub-
diti, in omnibus, & per omnia, tãquam pro-
priæ ipsius Prioris generalis personæ, in eo
obedire teneantur. † Vt igitur dicti Visitato- 20
res liberius valeant suæ Visitationis officium
exercere, nolumus eos vllum aliquod offi-
cium, præter Visitationem prædictam, habe-
re posse. † Si autem per Priorem generalem, 21
& Visitatores succedentes, qui præcedentiũ
vestigia inquirere teneantur, inuentum fue-
rit, ipsum Priorem generalem, ac Visitato-
res præcedentes, præter iustitiam aliquid fe-
cisse, aut diligenter officium suum non exer
cuisse, siue pœnitentias in Cõstitutionibus ta-
xatas delinquẽtibus non imposuisse, illi etiã
per eosdem Priorem generalem, & Visitato-
res succedentes, tempore Capituli generalis,
aut Visitationis, debita pœna puniantur: &
præsertim pœna ijs debita, qui per eos pũ-
niendi erant, & impunes dimissi sunt, ipsi cũ
omni districtione plectantur. † Vacent pro- 22
inde dicti Visitatores, finito suæ Visitationis
officio, per triennium, ita, vt nec ad illud of-
ficium vllo modo iterũ assumi, nisi post exa-
ctum integrum triennium, nec etiam tertio
huiusce vacationis anno ad definitionem lo
co Visitatoris ad officiũ Generalatus assum-
pti substitui possint: quando id quidem le-

gitimè constitutum est, ac per multos annos
23 continèter in ordine obseruatum. † Si quem
verò ex prædictis Visitatoribus intra annum
suæ Visitationis mori, vel ab officio amoueri
contigerit, ipse Prior generalis, & ceteri duo
Visitatores, vnà cum Priore, & Vicario illius
Conuentus, in quo se dictus Prior generalis
repererit, ad quos, ex vi præsentis Constitu-
tionis, hanc talem electionem spectare de-
cernimus, cum primum hoc eis innotuerit,
alium, loco ipsius defuncti, aut amoti, intra
mensem à die scientiæ subrogare teneantur.
Si verò Prior generalis in itinere repertus
fuerit tempore scientiæ, tunc in eo Conuen-
tu ea celebretur electio, ad quem primò per-
24 gere disposuerat. † Volumus præterea, Prio-
rem generalem posse omni tempore super
his Constitutionibus interdum dispẽsare, ijs
exceptis, in quibus, tenore præsentiũ, ipsi est
25 dispensandi interdicta potestas. † Valeant &
id ipsum Visitatores facere, cum suo Visita-
26 tionis funguntur officio. † Denique Procu-
ratoris generalis, secundum modum, & for-
mam in proximè præcedenti Capitulo con-
tentam electi, officium erit, in Romana Cu-
ria temporibus opportunis cõmorari, & ne-
gotia totius Congregationis cum omni dili-
gentia, ac fide, pertractare: qui, licet gene-

ralissimum mandatum à Capitulo generali (prout oportet) habere debeat, eo tamen vti non possit, nisi prout Prior generalis, & Visitatores, auctoritatem ipsius Prioris generalis habẽtes, ordinauerint. † Quòd si dicto Priori generali, aut Visitatoribus inobediens, ac rebellis, exstiterit, valeat per eos Procurationis huiusmodi officio priuari: à qua sententia nulla eum ratione appellare posse decernimus. † Quod & de ceteris officialibus quibuscũque intelligi volumus, quos ex suis demeritis per eosdẽ suis officijs priuari contingat. † Ipso autem Procuratore ab officio (vt dictum est) amoto, vel etiam (si fortè id accidat) mortuo, alius per Priorem generalem, & Visitatores, loco eius subrogetur: cui ijdem plenissimum mandatum, ac si generale Capitulum congregatum esset, auctoritate præsentium Constitutionum, concedere possint. Studeat igitur dictus Procurator officium suum diligenter, & humiliter exercere, ne, propter temporalem occupationem, fructum subiectionis amittat. † Dictus etiam Procurator à singulis Conuentibus prouisiones suas habeat, de quibus, sicut ceteri, iudicibus (vt ante dictum est) in Capitulo generali, & tempore Visitationis, & Dietæ, rationem singulis annis reddere teneatur: † ad

27 28 29 30 31

quod Capitulum eum accedere; & in eo vo-
32 cem habere volumus.† Qui etiam ibi locum
suum teneat proximè sub omnibus Prælatis
33 in Capitulo generali congregatis :† intra an-
num verò, in Cōuentibus, sub Vicario Con-
uentus illius, in quo reperiri ipsum contige-
34 rit.† Si verò in Cōuentu Romano idem Pro-
curator in Priorem præficeretur, tunc in Ca-
pitulo generali, & vbique locum suū teneat
inter Prælatos, secundum professionem suā,
& sicut ceteri Prælati tenere consueuerunt.
35 † Et, ne Ordinis negotia detrimentū aliquod
patiantur ob Procuratoris absentiam, volu-
36 mus, & ordinamus,† vt ipsi Procuratori so-
cius assignetur, qui, illo absente, substitutus
ab eodem, occurrentes Congregationis cau
sas, tempore Capituli generalis, & alijs tem-
poribus, procurare habeat, & fine debito cō-
37 cludere possit :† ac ideò ad ipsum Capitulū
generale dictus socius nullo modo accede-
38 re valeat.† Nolumus autem, per Cōstitutio-
nes huiusmodi aliquem ad culpam, sed ad
pœnam tantum, nisi propter præceptum, vel
contemptū, obligari, prout in antiquis Con-
stitutionibus semper ab initio Congregatio-
nis obseruatum est, vt fratrum nostrorum cō-
scientiæ, & animorum quieti, ac tranquilli-
39 tati, possit esse consultum. † Volumus autē,

Paragr. hic 39. est Cóstit. Sixti V. de verbo ad verbũ, sub dat. Romæ in Monte Quirinali, die 23. Aug. 1591. Ex varietate temporum.

ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub priuatione quorumcumque officiorum, & dignitatum, alijs Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis arbitrio nostrõ infligendis, ac moderandis, præcipimus, ac inhibemus omnibus, & singulis Congregationis prædictæ Canonicis, ac alijs quibuscumque personis in eadem Congregatione degentibus, ne quis publicè, vel priuatim, de triẽnali Capitulo, in contrariũ quomodolibet tractare audeat, seu præsumat. † Hæc igitur, dilectissimi fratres, si, auxiliante Domino, obseruauerimus, 40
speremus, nos ab ipso omnium bonorum remuneratore præmia consecuturos æterna: quia fidelis est, qui promisit, dicẽs; Qui mihi ministrat, me sequatur; &, vbi ego sum, illic & minister meus erit, Iesus Christus, Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat, Deus, per infinita sæcula sæculorum.

Amen.

F I N I S.

INDEX CAPITVLORVM CONSTITVTIONVM CANONICORVM REGVLARIVM

Congregationis S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini.

De officio Ecclesiç. Cap. I. pag. 18
De Confessione fratrũ, & sacra Cõmunione. Cap. ij. pag. 24
De suffragijs mortuorum. Cap. iij. pag. 29
De modo, & ordine legendi Regulam, & Constitutiones. Cap. iv. 32
De refectione, ieiunijs, & abstinẽtia. Ca. v. 37
De modo, & ordine sumendi refectionem. Cap. vj. 44
De iter agentibus. Cap. vij. 49
De vestibus. Cap. iix. 57
De rasura. Cap. ix. 60
De cellis, & lectis. Cap. x. 61
De cura, & regimine infirmorũ. Cap. xj. 63
De hospitum susceptione. Cap. xij. 68
De silentio. Cap. xiij. 70
De litteris, & mandatis non accipiendis. Cap. xiv. 76
De receptione nouitiorũ in domũ. Ca. xv. 79

De recept. nouitiorũ ad habitũ. Cap. xvj. 82.
De institutione nouitiorum. Cap. xvij. 88
De discussione vitæ, & morum nouitiorum. Cap. xiix. 91
De professione. Cap. xix. 94
De obedientia, & subiectione. Cap. xx. 102
De modo, & tempore promouendi Canonicos ad sacros ordines. Cap. xxi. 108
De rebus ecclesiasticis, & temporalibus non alienandis. Cap. xxij. 111
De leui culpa. Cap. xxiij. 121
De graui culpa. Cap. xxiv. 125
De grauiori culpa. Cap. xxv. 127
De grauissima culpa. Cap. xxvj. 131
De Apostatis. Cap. xxvij. 133
De Capitulo quotidiano. Cap. xxiix. 138
De institutione Abbatũ, Præpositorũ, & Priorũ conuentualiũ, eorũq. Vicariorũ: & de assignatione Sociorũ eorũdem Prælatorũ euntiũ ad Capitulũ generale. Ca. xxix. 146
De officio Abbatũ, Pręposítorũ, & Priorũ cõuentualiũ, aliorũq. Officialiũ. Ca. xxx. 150
De Capitulo gñali: & de elect. Prioris gñalis, & Visitatorũ, ac Substituti. Cap. xxxj. 160
De electione Procuratoris generalis: & de alijs in Capit. gñali agẽdis. Ca. xxxij. 172
De auctoritate Prioris generalis, & Visitatorũ, ac Procuratoris gñalis. Cap. xxxiij. 186

INDEX.

Numerus (Primus, Capitulum) (Secundus, Paragraphum) (Tertius, Paginam) significat.

A



BBATES, Præpositi,& Priores,Conuentuales, eorũq. Vicarij, vbi eligendi. 29.1.146. si intra annum moriuntur, aut amoueantur, quid agendum. 29.2.146. tertio quoque anno ad Capitulũ generale accedunt. 29.3.147.
Absens nemo ab officio, sine licentia. 1.2.19.
Absens in principio Officij. 1.5.20.
Absentibus intimetur electio. 29.6.147.
Absolutio plenaria danda morti proximo. 11.11.68.
Absolutionem plenariam Nouitij cõsequuntur, per professionem. 19.11.99.
Abstinentia. cap. 5. pag.37.
Abstinentia à lacticinijs. 5.18.43.
Abstineant quando fratres à carnibus. 5.7.40.
Accusans, tempore visitationis, audiatur, dummodo se obliget ad pœnam talionis. 13.23.74.
Accusatores recusantes &c. reijciantur. 13.27.75.
Accusatoris,& rei nomen,& crimen,in scriptis mandetur. 13.24.74.
Accusatoris falsi pœna. 13.26.75.
Accusare Nouitium qui vult in Capitulo, possit petita licentia. 18.10.93.
Actus venereos committens. 26.9.132.
In Aduentu Canonicorum, vel reuersione, quid agendum. 7.3.53.
Aetas professorum. 19.16.101.
Aetas promouendorum, & in ea qui possint dispensare. 21.5.& 6.109.
Alchimiæ genus nullum fiat, nec stillationes,sub pœna &c. 22.11.117.
Alienationes, venditiones, & permutationes, supra 25. scutatos, non fiant à Prælatis,seu Præsidentibus, absque consensu duorum Prælatorum viciniorum. 22.5.115.
Alter alteri,cũ caritate,reuerẽtia,& honore,in recreatione loquatur. 13.15.72.
Amoti e Conuentibus, ad aliosq. deputati, ad loca parata properẽt.33.3.188.
Amotio Canonicorum, intra annum, quo modo. 33.10.190.
Animarum cura per quos. 1.22.24.
Anniuersarium patrum,& matrum,quando faciẽdum.3.6.30. fratrum,& be-

nefactorum, quando faciendum. 3. 7. 30. in vtroque, quæ Conuersi, & Commisſi, facere debeant. 3. 8. 30.
Apostata, si misereatur sui, &c. potest recipi. 27. 1. 133. quo modo potest recipi intra tempus Generalis Capituli. 27. 2. 133. recipiendus, quibus pœnis subiaceat. 27. 4. 136. et indulgere, & remittere possit Prælatus, Canonicis pro ipso deprecantibus. 27. 5. 136. post pœnitentiam peractam, locum teneat sub omnibus professis in Ordine. 27. 6. 137. non possit eligi ad aliquẽ ordinem, nisi &c. 27. 7. 137. iterum non possit recipi, nisi &c. 27. 8. 137. vnius Cõuentus, nõ recipiatur in aliũ Conuentũ, nisi &c. 27. 9. 137. quis intelligatur. 27. 10. 137. rediens ante mẽsem, qua pœnitẽtia puniat. 27. 11. 137.
Archiuium, seu Armarium, erigatur, in quo instrumenta reponantur: sub pœna &c. 22. 18. 119.
Asporteur nihil sine licentia, de vno Conuentu ad alium. 24. 11. 126.
Auditores, & Iudices, tres caussarum eligantur. 32. 4. 175.

B

Balnea quo modo permittantur. 7. 9. 55.
Benedicat Prior generalis omnes. 31. 19. 169.
Benedictio Indumentorum, quæ sunt danda Profitenti, à Prælato, & Conuentu. 19. 7. 97.
Benedictionis mensæ modus. 6. 2. 45.
Benedictio Prælati, & Miserere in singulis sextis ferijs sero ad benedictionem pro indulgentia plenaria in morte. 29. 8. 142.
Beneficij vnio, quo modo. 22. 3. 112.
Bibatur ambabus manibus, & sedendo, si fieri potest. 6. 8. 46.
Bibliothecæ erigantur. 4. 8. 34.
Bilancia, seu computi Monasteriorũ, deferãtur tempore Visitatorũ. 32. 3. 175.
Bona alienare non licet, nulli Prælato, nec Procuratori. 22. 4. 112.
Bona, quæ remittuntur, quo modo restituenda. & quibus Monasterijs applicentur. 22. 15. & 16. 118.

C

Cærimoniæ vniformiter obseruentur, prout in Missali & Breu. 1. 9. 20.
Calices non possint pignorari, nec transportari; &, si commodantur, quo modo commodandi. 22. 6. & 7. 115.
Camisæ lineæ prohibentur, & quibus concedantur. 8. 1. 58. & cap. 10. 2. 62.
